







Q. D. B. V. 1713, 13  
DISSERTATIO MEDICA

DE

14  
USU & ABUSU  
MEDICINÆ,

Quam

AUXILIANTE DIVINO NUMINE  
JUSSU SUPERIORUM  
CONSENTIENTE AMPLISSIMA  
FACULTATE MEDICA,  
IN ACADEMIA REGIOMONTANA,  
inter concatenata Praxeos Medicæ nego-  
tia concepit & publici Juris fecit

GEORG. CHRISTOPH. CHRISTIANI,  
Hollandiæ - Borussus,  
MEDICINÆ DOCTOR,

Sacr. Reg. Majest. in Borussia, superioris Borussia  
Terrarum PHYSICUS Ordinarius.

Seneca. Epist. CXV. NIMIS ANXIIUM ESSE TE CIRCA VER-  
BA ET COMPOSITIONEM, NOLO. HABEO MAJORA,  
O. QUÆ CURES.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS, MDCC XIII.

1713  
MED  
1713  
1713



S. REG. MAJ. IN BORUSSIA  
CONSILIARIIS STATUS  
INTIMIS

ILLUSTRISSIMIS, GENEROSISSIMIS  
ac EXCELLENTISSIMIS

DOMINIS,  
DN: ALEXANDRO

Sacri Rom. Imperii Burggrabio ac Comiti  
de DOHNA,

Libero Baroni de Copet, Copiarum Regiarum Generali Campi-  
Marschallo, Equiti Ordinis Regii Aquilæ Nigræ, Fortalitii Pillauiensis  
Gubernatori, Capitaneo Hereditario districtus Morungensis  
& Liebstdiensis, &c. &c.

Domino Hereditario Terrarum Schlobitten/ Herrendorff/ Stodien/  
Karwinden/ Kleinheyde/ &c. &c.

DN: JOH. DIETE-  
RICO de HOVERBECK,

Sacri Rom. Imperii Libero Baroni, Electoratus Brandenburgici Dapi-  
fero, Dicasterii Aulici Regni Prussæ Præsidi, ad Aulam Poloniæ  
Ablegato Extraordinario,

Domino Hereditario in Eichmedien/ Queden/ &c. &c.



5. 7  
14

DOMINO  
**CHRISTOPHORO  
ALEXANDRO**

à **Hauschfen** /

Supremo Borussia Magistro, ac Ordinis Aquilæ Nigræ Equiti,  
Hæreditario Domino in Eiserwagen / Kirschnen, Madrau / &c. &c.

**DN: FRIDERICO**

**WILHELMO** à **Kanis** /

Supremo Burggrabio, Summique Tribunalis Præsidi,  
Hæreditario Domino in Podangen / Lomp / Rosenau / Maulfrisen / &c. &c.

**DN: LUDOVICO**


ab **Stau** /

Cancellario,  
Hæreditario Domino in Lablack / Kiefften / &c. &c.

**DN: DIETERICO**

à **Settau** /

Supremo Mareschallo,  
Hæreditario Domino in Bieffen / Schönbruch / Ramsen / &c. &c.  
*Domini ac Mæcenatibus suis gratiosissimis,*






DISSERTATIONEM HANC IN HUMILLIMI  
AC DEVOTE GRATI ANIMI  
SIGNUM,  
PERPETUIQUE OBSEQUII  
TESSERAM,  
CUM VOTO OMNIGENÆ AC ÆTERNÆ  
FELICITATIS CALIDISSIMO,  
ULTERIORI GRATIOSÆ CLIENTELÆ  
SE SUAQUE COMMENDANS  
OFFERT

*devotissimus Servus*

G. CHRISTOPH. CHRISTIANI,  
Doctör.



5. 4  
14




# LECTORI BENEVOLO,

Ἐπιεικέως ; ἔν ἑνῷ ; ἔν περὶ τῶν ; καὶ χαρισίῳ δικαίῳ.



Uti perlustrare hasce dignaris pagellas, Lector, omni honoris, officii & amoris cultu prosequende, certiozem Te reddi permitte, eas non ex pruritu quodam scribendi & gloriolam captandi libidine, aut otiosa mente, sed iussu superiorum, inter continua humeris meis imposita negotia ac clinicorum suspiria natas esse, manuq; ab expeditionibus ordinariis nunquam non defatigata abrupte conscriptas. Si proinde in iis ex necopinato in publicum prodeuntibus, quas, uti ajunt, novum in annum pro acquirenda perfectione condere non licuit, plura deprehenderis errata, qua tum meditationis hujus extraordinaria indefinenter impedita, tum typothetæ culpâ irrepisse video plurima: si ipsa Forma aut Materia judicii tui acutissimi & politissimi oculis non placuerit, scias, quoad Formam equidem idem ferè delineationi huic contigisse, quod celeberrimo olim pictori Protogeni, qui, dum in pictura aliqua exactè elaboranda occupatus, quoad reliquas partes sibi aliisq; satisfacisse putasset, unica saltem pars ipsi displiceret, quam sollicitò animi cruciatu in pictura non verisimile

)( 3





mile estimans sapius absterferat, penicilla mutaverat, nullò tamen modò sibi approbare posset, postremò arti iratus spongiam picturæ suæ impegit loco invisò, & pertasus abjiciens penicillum Manum de Tabula semovit: ex qua tamen spongiæ allisione colores reposuit ablatos, qualiter cura optaverat, fecitq; in pictura naturam fortuna.

Usum & Abusum Medicinæ delineanti mihi calamos persapè turbatos atq; à scriptioibus multifariis hebetatos mutare necessum fuit, ut non aliam nisi inordinatè ductis lineis effectam, mancã, imperfectã ac omni ornatu & elegantia destitutam Hygiæ particulam impræsentiarum Tibi sistere potuerim, quæ nec mihi nec Tibi queat placere, quòd eas, quas nimis serò adverti mendas, corrigere ac deficientes insuper partes perficere, omnes mihi præcisas esse horas succisivas & occasiõnem, senserim. Calamò itaq; ceu delineationis penicillò abjectò, manum de tabula semovens, ad tuam, Lector benevole, me converto Humanitatem, quã, nihil ab omni parte beatum esse considerans, virtute, ceu Spongiã Protogeneanã, ut eos, quos offenderis nevos, abstergere, emendare, defectus supplere, eamque, quam meã qualiscunq; cura optaverat, formositatem Tibi aliisq; acceptam conciliare velis, obnixè à Te contendo. Materiam quod attinet, de ea valdè sollicitus non sum. Concernit enim bonum, sine quo omnia, quæ in hac vita homini contingere queunt bona temporalia, estimanda sunt vilissima: SANITATEM, ex DEI O.M. paternã concessione & instituto sapientissimo conservandã, corrigendam, tuendam, recuperandãque USU MEDICINÆ salutaris, eoque magis laudandò, quòd & Animæ immortalis, in quantum ministerio spirituum vitalium indiget, non contemnenda exinde resulentur commoda. Muneris siquidem mihi demandati ratio cum à me exigat & administrare & defendere Medicinæ Usum illibatum; Abusum verò, quem non nisi cordoliò maximo, per plura jam lustra adverti nocentissimum, avertere; non facile



5. 4  
114

facile quemquam vite suae & sanitatis ac veritatis amantem  
agrè laturum spero, quòd hisce pagellis genuinum medicinæ  
usum indigitare ac commendare; abusum verò horrendum iti-  
dem detegere ac perstringere voluerim. Traditâ nimirum planè  
generali Medicinæ definitione & recensioe partium Ejus-  
dem ac Requisitorum fundamentalium, quoad cognitionem  
sanitatis & morbi, (nam ignoti nulla est ratio, & non intel-  
lecti nulla est curatio morbi) ac quoad Media seu Remedia  
& Medicamenta, quâ inveniendâ quâ disponendâ, ex triplici  
sic dicto Fonte, Diætetico, Pharmaceutico & Chirurgico pe-  
tendâ; singulorum Usus & Abusus seu Errores nocivos tam ex  
ignorantiâ, quàm ex proacresi & pseudomedicorum malitia oriun-  
dos, pro instuuti, temporis ac occasionis ratione tetigi; neces-  
sitatem Medicinæ simul à causis morborum quibusdam inevi-  
tabilibus breviter demonstrans. Constitueram equidem apud ani-  
mum meum, speciales quosdam Medicinæ usus addere, quoad  
corrigenndam maturè Dispositionem morbosam tam origina-  
lem quàm accessoriâ diversimodè juxta Temperamentorum  
aliarumq; circumstantiarum diversitatem, non ex consiliis Pseu-  
domedicorum, nec ex dictamine Calendariorum, purgan-  
tibus, venesectionibus, scarificationibus, instituendam, cum hæc  
remedia ad Aphæresin, quandoque licet necessariam, spectent,  
non pauci verò morbi Prosthesi indigeant; atq; sic tuendam  
Sanitatem contra morbos præcipuè Epidemios, variolas, mor-  
billos, febres variâs, benignas, malignas, contagiosas, Pleuri-  
tides, Dysenterias, &c. ut (Deò benedicente) vel non occupare  
vel non adeò lethiferè invadere possint homines, tam infantes  
quàm adultos. Non minùs aliqua de Clinicorum curatione,  
imprimis in absentia, quòd non semper curationes exhaustiantur  
corporis Medicorum præsentia; ut & de usu medicine in morbis  
incurabilibus aut quasi; nec non quadam de Medico-legali-  
bus, Verum enim verò, neq; otio neq; iuvenis satis suppeten-  
tibus



tibus, & quòd de favore Lectorum optima quæq; mihi polliceri  
nequeam, tametsi nec in hisce presentibus:

Non volo, nec valeo, placitum me reddere cunctis,  
Sed volo, dum valeo, posse placere bonis.  
Nam scio, me verè cuiusvis non posse placere,  
Qui cuiusvis placuit, quæso quis iste fuit?

Quandoquidem:

Debet adhuc nasci ille cogitans, qui noverit omnes,  
Sic condire cibos, sapidi ut sint omnibus æquè.  
Diversis diversa placent, quod spreverit unus,  
Alter amat, nulli cuncta placere queunt.

Manum itaque de Tabula nolensq; volensq; removeo, & si ex ali-  
qua modo presentium pagellarum parte, tibi L. B. satisfacisse me  
sensero, erit, de quo mihi gratuler, sin minus, veniam tamen  
me à Te impetraturum spero; quam compensaturus benevolen-  
tiam hæc meâ dextrâ fideque Tibi, & cæteris omnibus de divina  
Medicinæ genuino usu rectè sentientibus, omne id offero

Quicquid in arte mea possum promittere Curæ:

atque infallibili auxilio & immenso adjutorio cœlestis Archiatri,  
sine cuius Numine nihil est in homine, nihil salutare in Medico,  
Te & Me devotè commendo. Vale & sive.

I. N. J.



I. N. I.  
CAPUT I.

§. I.



MEDICINÆ USUM & ABUSUM delineaturo mihi nullus forsitan vicio verterit, si Procerii loco, I)EI Ter Optimi Maximi summum erga Genus humanum, post deplorandum quoq; Lapsum, devotâ admiratione deprædicem assiduè continuantem amorem, ex quo non solum ad vitæ ærumnosæ sustentationem varia Ei destinavit ALIMENTA, sed & ad Sanitatis conservationem, restaurationemq; quamplurima fieri iussit MEDICAMENTA. Quem DEUM benignissimum, ceu unicum & supremum MEDICINÆ Auctorem, Morborumq; omnium Averruncum, ARCHIATRUMq; æ nostrum, prout quivis mecum agnoscit; sic tanti Doni progressûs brevi commemoratione, primò hocce capite superfedere non potui.

§. II.

Prævidens nempe omniscius Creator, Protoplastos in perfectissimo statu non diu permansuros, sed fastuosa vetiti fructûs comestione, præter alias calamitates & morborum myriades cervicibus suis hæreditariè superinducturos; ipso statim Creationis primordio  $\beta$ . plantas, animalia, cæteraque creata singula sui quodvis generis & speciei jam produxerat, non effœta, inutilia, rejectanea, sed omnia valdè bona, facultatibus certis ac infallibilibus tam alimentosis quàm  $\gamma$  Medicamentosis turgentia.


A

§. III.

$\alpha$  Exod. XV. 26.  $\beta$  Gen. I. 11. 12.  $\gamma$  Syr. XXXI. 1.

5. 4

14





## §. III.

Non minùs quoq; ADAMUM, Scientiã rerum creatarum largissimè instruxerat, juxta quam eeu Omniscientiã divinã idæalis ipsi concreatã partem, iisdem omnibus, secundum uniuscujusq; naturam & virtutem à DEO eis tributam ac secundum proprietates, quas à sapientissimo Creatore sortitã erant, cuius proprium imposuit *nomen*. §

## §. IV.

Quin & post luctuosam divinã Imaginis jacluram, ex immensã misericordia tantam Aurã suã divinã particulam Homini voluit esse superstitem, quã non minùs labefactatã sanitati restaurandã ac vitã sustentandã possët prospicere; ad eò, ut incredulis quoq; Gentilibus MEDICINÆ thesauros inexhausta DEI miserentis bonitas noluerit permanere occultos, quò, licet veri DEI cognitione carentes in Spiritu mortui essent, per MEDICINAM tamen contra morbos immunia reddere possent corpora sua; sicut Hippocrates, Galenus aliique Medici excellentissimi, Gentiles equidem, ast fortis suã alios probitate morum longè superantes, perximè testantur.

## §. V.

Ab Adamo quippe in posteros, Patriarchas, eorumque filios hæreditario quasi jure translata *Scientia Medica*, & per Chamum & Noachi filium Ægypto invecã, tandem in summo gradu cognita fuit SALOMONI, qui cunctis hominibus sapientior & omnium orientalium ac Ægyptiorum sapientiam sapientiã præcedens, diffitarum quoq; Gentium Reginas solã sapientiã suã famã ad sui spectaculum evocavit,

§ Gen. II. 19. & Wirdig. Med. Spir. L. II. c. 19.



5. 4  
14

vit, ac præcipuam laudem ex *Medicine scientiâ*, quam <sup>3</sup>*Sapientia* titulo sacra exornavit Scriptura, eâ ipsâ teste, promeritus est. In tantum enim *Medicina* insudaverat cognitioni, ut à Libani Cedro omnium Vegetabilium, Avium, Reptilium, Pisciumq; naturam persecutus, ad ipsam usque in parietum fissuris crescentem *Hyssopum* § pervenerit. Ut de *Tubal Caino*, n hominè post Adamum octavo, Chimia ceu *Medicina* partis nobilissimæ & fundamenti primarii, ac metallicarum rerum peritissimo; ut & de MOYSE, θ aureum Idololum, non nisi ex scientia Medico-Chimicâ in pulverem seu cineres redigente, plura non dicam, quàm, quod hic Vir Dei, vocationem divinam frustra recusans, dicendo: *Domine non sum eloquens, ab heri & nudius tertius, & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris lingua sum:* in omni κ Ægyptiorum sapientia doctus, & à *Josepho* λ omnium Ebræorum doctissimus, scientiâ auctus saluatur, atq; μ *Clemente Alexandr.* adstipulante, præter Grammaticam, Geometriam, Astronomiam, aliasq; scientias, MEDICINAM quoq; exactè edoctus fuerit, ac insuper *Physicam* & *Metaphysicam* è libris Mosaïcis originem ducere existiment Viri non incelebres. §


§. VI.

*Arabes* vicini dehinc, & ab his *Greci*, consequenter v *Romani* ac tandem Septentrionales & *Germani* eandem consequuti sunt scientiam, cum interea per plura seculâ penes Reges aliosq; homines principales, *Sapientia* o Professores,

A 2

Me-

§ 1. Reg. 4. n Gen. IV. 22. θ Exod. IV. 10. i Exod. IV. 10.  
κ Actor. VII. 22. λ Antiq. Judaic. L. II. c. 5. μ Strom. L. f. 251.  
v Dannh. Mem. Ev. p. 680. § Ludov. Viv. in Aug. de Civ. D.  
l. 8. c. II. o Cels. præf. p. m. 2.





4  
Medicorumq; filios hæssisset, quia ob simplicem victum, vitam laboriosam, frugalem, castam, luxu destitutam, nec tot animi perturbationibus deditam, tot morbi, præter vulnèra, homines nondum vexarent, ac seculis sequentibus, quibus accedente spontaneo Naturæ decremento, variisque circa Diætã & alia commissis erroribus, turmatim ingruerent ægri tudines, quocircà necessitate coacti in addiscenda augendaq; Medicinã curiosi evadentes, DEI nutu, langvorbis suis indies plura comparavère remedia, ut per multa jam secula duobus suis cruribus, *Experientiã* & *Ratione*, MEDICINA, quam  $\pi$  *Necessitas* concepit, *Solertia* peperit, *ratio* aluit, *usus* promovit, longaq; demum *Experientia* consummavit, jam absoluta ac perfectã, pulchrè incedat, ceu inestimabile DEI donum.

§. VII.

Hiscè prælibatis, ipsius *MEDICINÆ* essentiam, partes ac requisita, atq; *USUM* & *ABUSUM*, quò contraria juxta se posita magis elucefcant, eã quã fieri poterit brevitate, *IPSO*, qui *Medicinam* creavit, Adjutore, ostendam.

C A P U T II.

§. I.

**M**EDICINA à medendo, id est, ægros sanando ac sanos conservando, sic dicta, in *Artus* formam ceu *Habitus cum rectã Ratione effectivus*, redacta, ab aliis *Scientiæ*  $\xi$ , sed *Practiciæ* nomine insignitur, quæ sit *Habitus*  
per

$\pi$  R. Castr. Med. pol. L. II. c. 2.     $\xi$  Linfing. inst. p. 2. Wolff. Phys. Hippocr. p. 2.



5  
14  
per demonstrationes certas acquisitus, cognoscens Effectus per certas causas, Scientia Scientiarum, & Ars Artium σ. Prudentia, aut certe non sine Prudentia τ. Sapientia sive Philosophiæ Pars, quâ ipsum quoque Aristotelem instructum fuisse, apud Plutarchum legitur. Hinc apud quasdam Nationes v Physici vocantur tam Medici quàm Philosophi; utitur enim φ Principiis Physicis. Quapropter, & quatenus docetur ac discitur, non immeritò Scientiæ, quatenus verò in Praxin cedit, Artis titulo gaudere poterit.

§. II.

APTISSIMUM tamen Genus ejusdem sit ARS; quæ verò omnium Artium nobilissima, ob originem divinam; Subjecti, Hominis, dignitatem; Finisq; qui Sanitas est, præstantiam; non minùs propter necessitatem. Difficillima insuper, longèq; operosissima, aut indefinitis annumeranda artibus, quarum officium differt à fine, qui in Medici potestate non semper est positus, juxta vulgatum, Non est in Medico semper, relevetur ut aeger, sed eò interdum excidere potest, quoniam artis hujus subjectum est πλομορφόντων, & non solum cooperans, sed & persæpè χ reluctans ac contrario modo operans, secùs ac aliarum artium, ad victum, ad amicum & habitationes pertinentium subjecta agere queunt, cùm hæc merè fiat passiva. Medicus tamen partes suas peregit, si omnia fecit, ut sanaret.

§. III.

Cùm itaq; Medicina sit Ars, quæ cum rectâ ratione, maximâ nimirum prudentiâ & cautelâ, sanitatem efficit, adhæc In-

A 2

de-

σ Fritsch. pecc. med. p. 5. τ Scherb. apud Conring. Intr. C. I.  
p. 3. v R. Cast. Med. pol. L. II. c. I. φ Hoffm. Fund. Med.  
p. 2. χ Hippocr. Epist. ad Democr.





*definita & Conjecturalis*; ad opus hoc rectè perficiendum, Artifici Medico competit, ut ( $\alpha$ ) *Subiectum*, in quo operationes suas instituere gessit, tam quoad naturalem quàm præternaturalem statum, exactè habeat cognitum. ( $\beta$ ) *Media*, fini, Sanitati, acquirendo apta & licita *inveniat*. ( $\gamma$ ) eadem ritè *disponat*, & ( $\delta$ ) omnia *prudētissimè applicet*, secundùm *Circumstantias* potissimùm, quibus Subiecti particularis, hujus illius, individualis, *Sanitas ac Egritudo* sunt obseptæ, quùm variantibus iis & *Medicinæ Usus* variare necessum sit.

## §. IV.

*Subiectum* Medicinæ est Homo animatus vivens, sive omnes ejus partes, non solùm quoad *Corpus* organicum, verùm & quoad *Mentem*  $\psi$ , quæ ob commercium & vinculum incomprehensibile, quod cum organico corpore habet, ac commodè per inhabitationem explicari potest, corporeæ compassionis sapiissimè particeps est, Mentisq; motus & cogitationes plurimam partem à temperie & motu humorum Spirituumq; dependent, hinc anima humana seu Mens & corpus invicem morbos suos communicant; prout in deliriis, melancholia, mania, furore, aliisq; Rationis læsionibus, arte medicâ curabilibus, facilè est observatu.

## §. V.

Hujus Subiecti *Sanitas*, est *Status secundùm naturam humanam*, & dehinc consequens *Actionum humanarum Integritas ac Rectitudo*. Sive Virtus functionum hominis animati viventis, ut omnia rectè agat, quæ ipsum agere vult humana natura. Et  $\omega$  consistit in *bona Temperie, legitima Conformatione,*  
& con-

$\psi$  Hoffm. l. c. p. 2. Andr. Diff. de Memb. & Corp. Conjug. & Med. Brun. prophyl. p. 3.  $\omega$  Bruno Lexic. p. 685.



7  
& convenienti connexione seu Unitate, ceu essentialibus sanitatis differentis, à debita Principii Vitalis animati, in humoribus, præcipuè vò in Sangvine & Spiritibus sedem suam obtinentis præsentia & facta appropriatione potissimùm dependens.

§. VI.

Morbus verò ex parte contraria, est, Status hominis præter naturam, cum perversitate functionum, unius aut plurium, in constitutione præternaturali ac perversa Temperiei, Conformationis ac Connexionis consistens, in quo præcipuè Sangvis & Spiritus sunt consideranda.

§. VII.

Sicut essentialia Hominis partes duæ sunt, una immaterialis & immortalis, nempe Mens, altera materialis & mortalis, Corpus. quarum unio vita est humana, ita corporis organici partes sunt triplices: (a) τὰ ἰσχυρὰ, ἢ ἐκτακτικὰ, ἢ ὀρεκτικὰ. Continentia, Contenta & Impetum facientia. Arctæus easdem appellat στερεὰ, ὑπερὰ καὶ πνευματικὰ. Re in exemplo clara, ceu in Thermometro Vitrum continens, solidas; liquor tinctus, fluidas; & Aër movens, Spiritus, repræsentant.

§. VIII.

Quomodo itaq; & quas ob causas omnes & singula hæ partes variè differentes (quarum differentiarum descriptiones tradere præsentis instituti non est) se habeant secundùm naturam ad ritè obeundas functiones humanas, Nutritionem nempe, Generationem, Motum & Sensûs, earumq; actiones subordinatas, ut & Mentis sive Intellectûs, Spirituum adjutorio ceu instrumento fruendis, operationes; atq; non minùs

(a) Hippocr. lib.VI. Epid. Sect.VIII. 25. p.m. 819.

5. 4

14

LIBRIS  
MUSEI  
HISTORICIS  
MUSEI  
HISTORICIS



contrà, qui & cur eas secundùm naturam humanam obire nequeant; prout *Rectum index est obliqui sive curvi*: Rationalis Medicus Artifex ea omnia edoctus erit probè, ex *Anatomia, Physiologia, Pathologia & Semiotica*, atq; tunc demum noverit, in quo consistat *Sanitas*, in quo *Morbus*, sive integritas aut huic contraria perversitas functionum hominis.

## §. IX.

Sicut enim ex *Anatomia* seu dissectione corporum humanorum *sanorum*, partium singularum naturalis *structura, conformatio ac communicatio* cum aliis, sive *vicinioribus sive remotioribus*; ex morbidorum verò seu morbo quodam defunctorum perlustratione constitutiones illarum vitiatæ percipiuntur; ità ductu *Physiologiae*, quæ *Pathologiae* fundamentum est, *Usus partium*, & cæterarum rerum naturalium conditiones considerando ex *Pathologiae Semioticæq;* regulis, *Morbos*, eorumque *causas & signa* cognoscendo, tandem verà *Morborum causali definitione* instructus Medicus, exactâ finis sui, *Sanitatis*, & contrarii ejus, *Morbi cognitione* gaudere poterit.

## §. X.

Hæc enim cognitione seu scientiâ, prius, quàm opere, Medicos haberi necessum est. Nec quisquam putet, ullum planè cognitum, penitusq; perspectum esse ac tutò curari posse Morbum, nisi habeatur compertum & quasi oculis cernatur, quæ in humano corpore sedes *primariò* laboret, quis in eo sit *Affectus præter naturam*, unde is processerit, utrum in eâ sede genitus *πρωτοπαθειαν*, an aliundè profectus *συνπαθειαν*, an deniq; interiùs causa aliqua illam foveat. (b)

CA-

(b) Fernel. in præf. l. 5. Pathol.



## CAPUT III.

9

### §. I.

**C**ognitâ tunc probè *Sanitate* atq; ejus contrariô, *Morbo*, illi conservandæ ac tuendæ, huic profligando, sagax & rationalis Medicus, *Media*, modis & rationibus *Scientie Physico-Medica*, præcipuè *Mechanismo Chymico* (c) debitis, investigat, ac inventa haurit ex triplici Naturæ fonte, *Dietetico* nimirum, *Pharmaceutico* & *Chirurgico*. Fons *Pharmaceuticus* sua derivata tribus sic dictis *Regnis* debet, *Vegetabili*, *Animali* & *Minerali*, quæ propriè *Medicamenta* nuncupantur; cum reliqua, à *Dietâ* & *Chirurgia* petenda, remediî nomine constent, quamvis in genere, omne illud, quod morbos, aut causas potiùs morborum, avertere aut tollere valet, remediî nomine gaudere possit; cum & *Alapa* detur *medica*, luxationis maxillæ inferioris meliorem curam fortè ignorantibus relinquenda. Ut de mediis in *Spirituum* ac *Mentis* curâ necessariis ex triplici fonte dictô non semper acquirendis, cogitationes meas promere, ob prolixitatem evitandam, jam supersedeam.

### §. II.

*Medicamenta* propriè sic dicta, alimentis è diametro opposita, varias apud Authores sortita sunt divisiones. *Vulgaris* & *plebejis* non minùs ac *Pseudomedicis* cognita (a) *secundùm* corporis humani *partes*, quibus opitulari debent, porrrigit *Medicamenta Cephalica*, *Ophthalmica*, *Otica*, *Odontalgica*, *Pectoralia*, *Cordialia*, *Stomachalia*, *Hepatica*, *Splenetica*, *Nephritica*, *Uterina*, *Arthritica*, &c. desiderantur tamen, si à partibus & sensibus denominatio justa est, *Lingvalia*, *Nasalia*, *Intestinalia*, *Scrotalia*, *Testicularia*, &c.

B


### § III.

(c) BOHN. diff. Chym. WOLF. Phys. Hipp. WEDELIUS Pharmac., & alii.

5. (7)

14

C





## §. III.

Quæ (§) à Morbis, quos expellere debent, denominata sunt, vocitare amant *Antiapoplectica*, *Antiepileptica*, *Antifebrilia*, *Anthelminica*, *Antiscorbutica*, &c.

## §. IV.

Verùm enim verò, cùm *Partibus* varii diversiq; accidere possint *Morbi*, qui itidem *singuli* varias ac diversas sæpè causas agnoscunt, quarum removendarum gratiâ Medicus scientificus media sua, certis potentiis specialibus *contra* hanc illamq; *specialem causam* dotata, invenire ac seligere opus habet, prout circumstantiæ requirunt; igitur facilè cuivis patebit, quod partium aut morborum *Nominibus*, non verò ipsis morbis averruncandis, tituli jam dicti medicamento- rum competant.

## §. V.

Ingrediamur v. gr. Corporis humani Palladisq; arcem regiam, CAPUT, hoc adeò plurima sui præsidio *Cephalica* disposita videt, contra varia, toti œconomix humanæ perniciosa, quibus illud cumulatur, mala. Verùm, quam rarò pati cogatur *ιδιαιτητικώς*, hi experti sunt, qui non sic dictis Cephalicis, sed aliò titulò insignitis medicamentis, illi inductos morbos ac symptomata sæpius propulserunt; prout nimirum vel *Stomachus* nimium repletus, aut cruditate, inflammatione aliisque vexatus malis; vel *intestina* bile vitiosâ humoribusque acidis invicem effervescentibus; vel *uterus*, vertiginem doloresq; cum frigoris sæpè sensu, aliæq; partes, maximam afflictionis suæ portionem ad ipsum ablegarunt.

## §. VI.

Veniant in conspectum pretiosissimæ hominis gemmæ, splendidissimæ fabricæ humanæ lux, mundi faci, lucidissimæ



14  
5. 4

mæ, SOLI, os humerosq; similes, OCULI, & iis destinata  
*Ophthalmica*, quam faciliè ac dolentissimè illi afficiantur, nõ-  
runt imprimis hi, qui *ophthalmiã*, seu inflammatione à deflu-  
xionibus ab humorum acrimia salforum corrodentium q; con-  
cursu excitatã, vel *suffusione* aliisq; vitiis à lymphã condensata  
ac crassa, adusque membranulæ albugineam tunicam obsu-  
fantis accretionem, laboravère: multò magis isti, quos  
fors experiri voluit, unico collyrio seu aqua oculari quibus-  
dam usuali viridi ex ærugine, Vitriolo albo aut cyprio, aliisq;  
acribus, omisã humorum curatione internã, malè curatos;  
cum talia in affectibus oculorum à crassitie & lentore hu-  
morum oriundis, neutiquam verò in contrario casu allegato  
valere possint, qualem perversam curationem plurimis Vi-  
sum ademisse, non ignotum est iis, qui in variolarum e. g.  
curã malè consideratã talem observarunt Catastrophen.

§. VII.


Inspiciamus PECTUS, tussi, asthma, punctiõibus,  
aliisq; malis ad animæ purpureæ emissionem usq; obrutum,  
quàm variè causata sit e. g. *Tussis*, ac non semper ex *pectore*,  
sed & ex aliis derivanda *visceribus*, atq; si prius, indagandum,  
an in pulmonibus, an in arteria aspera, an à tenui aut crassã  
lymphã; acri-calidã aut acida-coagulante; cum aut sine  
asthma; an in ætate infantili, aut senili; gravidis aut non,  
aut aliter constitutis individuis.

§. VIII.

Adesto jam nobile, Gubernatoris in medio Reipublicæ  
vitalis clavum tenens ac fluxum & refluxum sanguinis re-  
gens, viscus; COR, cui succurrendo sic dicta *Cordialia* pro-  
stant, rectius *Confortantia* vocanda. Illa verò non solius

B 2

Cor-





Cordis parenchyma, nec sanguinem ad cochlearis fortè capacitatem in auriculas ac thalamos cordis impulsum, celeriterque, ceu in perpetuo est fluxu, expulsum, sed integram purpurei laticis massam respiciunt. Inest equidem cordi, præter vasa, sanguinem & parenchyma, quæ omnia visui patent, aliud quidpiam oculis nostris in forma corporea non obvium, ex effectibus tamen perceptibile, quod in avium foetus primis rudimentis, antequam cordis parenchyma efformatum est, ac antequam vasa & sanguis adsunt, *punctulum sit saliens*, ac in eo aliquid, motus hujus author: principium nempe *vitale, Spiritus innatus & insitus* non incongruè dictus. Verùm, hic ipse Spiritus non solum prout in corde existit, sed & prout in vasis ac partibus jam formati, imprimis arterioso sanguine, nervis, quin & minimis fibris, distributus est, sic dictorum cordialium vim sentit. Si itaque *Cordiale* seu *Confortans* justum comparare volueris, caveas; ne cor officiosè corroborando, sanguini ac spiritibus, aut jam plus satis exagitatis & tumultuantibus ceu equo currenti subdas calcaria, aut sanguini in his illis partibus unà cum spiritibus exhaustis ad stasim inclinanti, sedativis quietem concilies perpetuam, lampadi subtrahens oleum, cui debueras affundere, aut obruens extinguensq; lumen oleo superabundante; in quibus & similibus, regiam deserere viam, ægris existit fatale.

## §. IX.

Introeamus communem Oeconomiam animalis culinam, VENTRICULUM seu Stomachum, quamvis & hic suos patiatur manes, non tamen in ipso omnem mali sui causam esse scies, si edoctus fueris, extra quoque ejus pomœria, e. g. à capitis dolore, vulnere, contusione, vertigine, *renum* inflammatione aut calculis, uteri affectibus variis,




13  
riis, febribus malignis, ob vitiatam sanguinis diathesin spiri-  
rituumque fractam energiam, non minus ab Animi pathem-  
atibus, terrore, metu, tristitiâ, irâ, *Inappetentiam, Nauseam,*  
*Vomitum, Doloresq.* plurimos sub serobiculo cordis ipsi aliunde  
advenisse, atque tunc stomachicis tuis usitatis vel nihil pro-  
ficies vel nocēbis. Sic quoque cum aliis medicamentis *Par-*  
*ium* nomine venientibus comparatum est omninò.

§. X.

*Morborum* titulos quod attinet, non multum discrepans  
deprehenditur ratio; cum medicamentum, quod Apoplexiæ,  
Epilepsiæ, Febribus aliisque tollendis aptum fuerat iudicatum,  
aliâ vice iisdem manifestissimo extiterit damno. Esto e. g.  
FEBRIS, qualis & hõcce annò, ex causâ communi, anomaliâ  
aëris, epidemicè est grassata. Non adeò facile semper fuit  
cuivis febricitanti *Antifebrile* competens ex innumerabili an-  
tifebrilium numero seligere, cum affectus hi febriles, quam-  
vis similes apparuerint, maximè tamen, quoad mali ra dicem,  
focum & fomitem fuerint differentes, prout & diversa homi-  
num constitutio quoad temperamenta, ac in corpore abun-  
dantes aut deficientes aut variè vitiatum humores diversa vo-  
luerant medicamenta *antifebrilia*. Sic plures aliorum curâ  
empiricâ, vomitoriis, dejectoriis, sudorificis, quin & fama-  
tò ac maximè infidò (si *apothodas* usurpetur) pulvere chi-  
nensi sat diu cruciati, tandem post iteratas recidivas cognitò  
exactius morbi foco ac fomite, non semper in ventriculo, sed  
& in pectore, hepate aliisque partibus solidis, quin & certâ san-  
guinis ac lymphæ intemperie ac crassi turbatâ, vel spirituum  
qualicumque ataxiâ deprehenso, dehinc non adeò *ava usi natra*  
evacuantibus, quam aliis præsiidiis, pro qualitate circumstân-  
tiarum, sine ulteriori recidivâ sunt adjuvi.

B 3

§. XI.





## §. XI.

Sic proinde Medico non licet, nec possibile est, iisdem medicamentis iisdem occurrere morbis, præter omnium quippe spem planè differentibus, quamvis in symptomatibus apparuerint similes. Imò observatum est, febres e. g. intermittentes, omnis periculi ut plurimum expertes, nihilominus aliquando in continuas abiisse, ac inopinatò enecasse, quales sub tertianæ genuinæ indole in hujus accessu talem agentes tragœdiam memorat Caldera.

## §. XII.

Atque hinc rectius *Medicamenta*, non *partium* aut *morborum* nominibus, sed *causæ morbificæ*, efficienti, proximæ, continenti, immediatæ, (nunquam tamen non simul ad causas occasionales remotas respiciendo) *removende* apta, investigando seligenda sunt, quibus & *Partibus* liberandis, & *morbis* eorumque *causis* & symptomatibus methodicè tollendis prospicere *Medicina* edocuit.

## §. XIII.

Pessima siquidem, licet vulgâris, est opinio, quæ plures, egregios etiam viros, sed medicinæ imperitos, decipit, ipsorumque medicastrosum omnisciorum cerebro est infixæ, dari adversus *morbos* talia infallibilia *Medicamenta*, quæ nullò causarum morbificarum respectu, nullâ habitâ temporis, ætatis, sexûs, temperamentorum, aliarumque circumstantiarum ratione, illos depellant. Quæ falsissima persuasio à multis retrò seculis, proh dolor! horrendum adeò *Medicinæ* abusum in mundum introduxit, & adhucdum fovet.

## §. XIV.




## §. XIV.

Interest igitur omnium, medicamentis indigentium, novisse, Autorem Naturæ ac sapientissimum Creatorem DEUM, remediis certas equidem vires curatrices, certamq; medendi vim & efficaciam indidisse; ast, quæ non absolutæ, sed prorsus restrictæ sunt, ad certum subjectum, certam causam, ordinem, doses, tempora; quorum attentio & prudens applicatio si negligentur, ea quæ ad sanitatem data sunt, evidentissimè in morborum augmenta ac corporum detrimenta, quin & ipsius vitæ amissionem cedunt.

## §. XV.

Quæ assertione tamen quorundam & rarissimorum ita dictorum *specificorum*, si ritè adhibeantur, in certis corporis humani affectibus tollendis vim singularem, nec omnibus notam, minimè oppugnatam volo; præsertim cum per *Experientiam* quoque constet, juxta generalem partium divisionem Hippocraticam supra allegatam, alia Medicamenta *partibus solidis*, alia *humoribus*, alia *spiritibus* magis esse appropriata. Non minùs quoque singulis adscripta partibus talem inveniunt locum, ut ob variam ac diversam partium conformationem, structuram & configurationem, quoad poros, stamina & fibras, è quibus sunt contextæ partes, quin & ob fluidi, quod in illis detinetur, imò & spirituum, subtilitatis ac crassitiei puritatisque & aliam quamvis peculiarem habitudinem; uni *parti*, uni *humori* hæc, illa, medicamenta magis prosint, magis noceant, magis amica ac inimica sint; consequenter etiam morbo huic quàm alteri magis appropriata esse possint; neutquam verò aut rarissimè, uni tantum parti, uni solum morbo, nec aliis etiam partibus, atque morbis, certò & semper & infallibili, medendi potentia instructa sint ita dicta *specificæ*.

## §. XVI.





## §. XVI.

Quoad remedia ex fonte Diatetico petenda, certissimum est, ea, nomine *diatæ* venientia, sive res illas, quibus homo, in vario vitæ statu, plus minus, carere nequit, maxima ad sanitatis conservationem & restitutionem conferre momenta.

## §. XVII.

Consistit verò *Diatæ*, seu *victûs ratio*, & *modus aut Lex vivendi*, certaq; *victûs constitutio ac norma*, non in cibo ac potu solum, sed & in omnibus aliis rebus, quarum homini usus est quotidianus; uti sunt *Aër*, *Motus* & *Quies*; tam corporis quàm Animi; quò loci & *somnus ac vigilia*, atque *animi pathemata*, *excreta* & *retenta*, aliaque in Medicorum scholis *sæx rerum non naturalium* nomine venientia, pertinent quæ ritè usurpata ac rectè se habentia, *Sanitatis*, contrariò autem modò, *Morborum causæ* existunt.

## §. XVIII.

*Cibus tamen & Potus*, sive Alimentationis ergò assumpta varia, usitatiùs Remediorum vicem sustinent, ceu jam olim Hippocrates notavit, dicens: ἐν τροφῇ φαρμακείῃ, ἀείρον. ἢ τρεφῆ φαρμακείῃ φλαυρόν. τρεφῆ ἢ τρεφῆ. ἐν μὴ οἶον τῆ τρέφειδαι, ἔνομα τρεφῆ ἔργον δὲ ἐξῆ. In Alimento Medicina, Optimum. in Alimento Medicina, Malum. Alimentum non Alimentum. si nutrire non potest, nomen, Alimentum, non opus est.

## §. XIX.

Medici igitur, qui non minus Alimentorum quàm Medicamentorum propriè sic dictorum facultates callent, ea, ceu *causis morbificis* non adeò extremè quàm potiùs *mediè contraria*, eligere nõrunt, considerantes cuiusvis individui, ipsis noti, naturam, temperamentum, dispositiones ad morbos, vitæ genus, & imprimis ægrotantium malè constituta viscera,  
hu-



5. 17

14

humores, Spiritus, aliasque illorum circumstantias. quæ necessaria accuratio, solis genuinis Medicis cognita, de Pseudo-Medicis, utpote ad justam morbi causarum aliarumq; circumstantiam dignotionem, remediorumque applicationem non instructis, nec expectanda nec speranda Sed de his infra pluribus, ubi *Medicine usum in conservandâ sanitate*, proposito regula delineare permittet.


§. XX.

*Chirurgicus fons manus porrigit, ast oculos & quandoque armatas, ex cognitione Chirurgie, partis Medicinæ equidem ministræ ast vetustissimæ, Manu facta sua præstantes. Chirurgus nimirum, ἄνθρωπος τῶν χειρῶν & ἔργων, manuum opera, ein Hand-Werker / aliàs ein Wund-Ärzt / dem die äusserliche Leibes Schaden zu curiren obliegt / competunt Ul. era, Fractura, Vulnus, Luxata, Tumores, quibus Ruptura & Caries addi solent.*

§. XXI.

Jam ab antiquissimis enim temporibus, requisitâ *Vulnorum* magis quàm interiorum morborum medelâ, *Chirurgia* exoptatissimum obtinuit *Usum*, & inter omnes Medicinæ partes effectum semper *evidentissimum*; in morbis enim internis fortunam conferre (referente Celso (d)) cum multi dicant; ac dubitari possit, an Medicinæ an Naturæ beneficio secunda contigerit valetudo; in eâ tamen parte, quæ manu curat, totidem morborum chirurgicorum speciebus tanquam totidem certissima opponi possunt remedia, ut ab his rarissimè non eveniat, aut evenire queat, quod *Chirurgus scientificus ac rationalis* in endit, indicans postulat, hinc Hippocrates (e) rectè testatur, *turpe esse non contingere à Chirurgia,*

(d) præf. l. 7. (e) de Med. l. 5.





*gia, quod velis.* At verò, muneri huic nullatenus rectè vacare poterit *Chirurgus*, nisi partium, quibus opem ferre iubetur, situm, structuram, connexionesque ac naturam, nerveam, tendineam, carneam, ossèam, aliamque ex *Anatomia* probè habuerit peripsecta, non minùs & earundem *præternaturalem constitutionem*, cum operationum chirurgicarum & instrumentorum notitiâ sufficiente.

## §. XXII.

Optandum proinde foret, Chirurgiæ professionem ac artem pobilem, non ad eò planè ad tonsores ac balneatores esse detrusam, nec Hippocratis de Medicis effatum, de Chirurgis quoque valere; *Chirurgi fama & nomine quidem multi, re autem & operâ valde pauci.* Experientia enim quotidiana testatur plus satis, *nominales* hosce *Chirurgos* (veros hæc non tangunt) ob ignorantiam Anatomix & doctrinæ Chirurgicæ, ad ea quibus *manus* suas accommodare debent, id est, quod suum est, exsequi, ineptissimos sæpè esse, ignorantes quid sanare velint, quomodo debeant ac possint. Ast contra ea, hi ultra novaculam & lancettam, cucurbitulasque non docti, experientia ex castris ut plurimum hausta ad rupturam usque tumidi, externis insufficientes morbis, internorum tamen morborum suscipere ac promiscuè totius medicinæ Professores se jactare non verentur, falcem suam iniquam justæ Medicorum messi adaptantes, atque hoc frivole & impunè; ut de utroque & de imperitiâ eorum Anatomico-Chirurgicâ, & de damnosâ medicâ praxi nemo satis conqueri queat; iterùm iterùmque excipio aliquos eosque paucos, inculpata peritiâ & vitæ *Chirurgos*, limites vocationis suæ non facilè transcendentes. Verùm intolerabiles, uti in aliquot Borussia superioris locis, sic & in hoc quo



quo dego, districtu, dictâ ratione nec scientia nec conscientia præditorum continuantes ausus, publicos hæcæ ceu *Publici salutem* concernentes querelas extorserunt, quemadmodum & ejusmodi ab aliis, typis sunt mandatæ, alibi. (f)

§. XXIII.

Juaret equidem recensuisse, quot & quantis operationibus, laboribus & occupationibus Chirurgo competentibus se exercere debeant & queant ii, qui muneri Chirurgico nomen debere suum, ne reliquis Medicinæ partibus, curæ rixæ ac medicamentorum præparationi & dispensationi, se immiscere opus haberent (g); verùm penuria temporis, ægrorum curæ debiti, hæc vice non concedit.

CAPUT IV.

§. I.

Quemadmodum in quavis arte, opus aliquod auspicate aggressurus feliciter ad finem perducturus Artifex, non solum de MEDIIS *inveniendis*, scopo suo assequendo necessariis, sollicitus est; sed & de DISPOSITIONE seu ordinatâ ac aptâ præparatione eorundem cogitandum sibi esse non ignorat; pari modò in arduò quoque circa sanitatem & vitam hominum, nobilissimæ ac ad divinam imaginem conditæ creaturæ, versante negotiò comparatum est, ut MEDICUS, arte divinâ, MEDICINA rectè uturus, post FINIS contemplationem exactam & MEDIORUM inventionem, hisipsis ritè apparandis se præstet oc-

C 2

cupa-

(f) Joël Chirurg. Univerf. p.155. (g) Bohn de Offic. med. dupl. p.479. Riolanus: tentil misc. med. p.615. Samuel Sturm. de medicis non medicis, & alii plures.

5. 7

14

C

MD  
RS  
JE



cupatissimum, quibus ceu armis congruè præparatis adversus morborum cohortem opportunè insurgere ac debellare eandem queat.

§. II.

Ordinaria vitæ fomenta ex DIÆTETICO fonte deprompta, prudenter apparanda equidem coquis & mulierculis relinquit; facultates tamen ab his præparatorum assumendorum, pro ordinanda diætâ exactè novit, &, ne sani in valetudine secundâ, præsidia adversa consumant, (h) monet; CHIRURGICAS quoq; manus chirurgis commendat, operationes eorum dirigens.

§. III.

Medicamenta verò propriè dicta maximam præparationum & compositionum requirunt attentionem, ne juxta venerandæ Antiquitatis sententiam, τὴ Φάρινα τῶν βιῶν χεῖρες, τῶν κακοδαίμωνων γινώσκει. i. e. Medicamenta, Deorum manus, fiant malorum geniorum. Quamvis enim dictæ operationes medicamentariæ non sic hodiè ac olim in medicorum manibus versentur, sed ob materiarum vastitatem operationumq; numerositatem, ac temporis, agrorum curationi impendendi penuriam, concredita sit ministris, qui sub medicorum directione, res medicinales colligunt, præparant, componunt, reponunt, atq; à græco ἀποθήκη, repono, & ἀποθήκη, repositorium, Apothecarii, germanicè Apotheker/primi ministrantes & hodierni Pharmacopœi, denominationem suam sunt sortiti; attamen universa medicamentorum & investigandorum & disponendorum ratio perpetuò ad ipsum spectat MEDICUM, tanquàm verum remediorum Architectum, hinc, si non ab omnibus, à plurimis tamen,

ars

(h) Celsus l. 1. c. 1.



5. 4

14

ars hæc disponendi sanctè addiscitur, licet ipsimet manu suâ non disponant seu præparent; modò sciant; cùm artis medicæ sit integralis pars, ad remediorum notitiam absolutè pertinens; ne, *nescientes eam, usum remediorum nesciant, (i)* peritiâq; eâ destituti ad medendi artem æquè sint inepti ac navarchi, acûs nauticæ & hujus moderaminis ignari, ad navigationem, adeò certè sine eâ contingit hallucinari, ac de genuinis medicamentis judicandi; aut officinas visitandi munere à medicis ordinariis ad Magistratûs requisitionem præstandò aliàs vix dignè fungi.


§. IV.

Esto enim, quòd plurimis retrò seculis DISPOSITIO sive *ars præparatoria mechanica medicamentorum*, non minùs ac ipsa *Chirurgia*, ab arte medica propriè dicta, CURATORIA nempe, sit sequestrata prout jam dudum, anno Christi 916. *Rhazes, Medicus Arabs*, artem confectiionalem, quò nomine præparationes medicamentorum interpretes reddidit, inter medicinæ partes principales referendas esse negavit, sed ad ministras artes spectare. Quin & jam ante annos 2163. ipsimet *Hippocrates, (k)* qui 450. (l) annis ante CHRISTI nativitatem vixit, illud, in Epistola quadam ad *Cratevam*, innuit, scribens: *scio, te, ò Amice, optimum esse radicifecam (ῥιζοτέουον) & propter tuam ipsius exercitationem, & propter Progenitorum gloriam, adeò ut in hac facultate Proavo minimè cedas; atq; datis circa vegetabilium collectionem & asservationem monitis quibusdam, subdit: omnia autem medicamenta, qua succi & liquoris fluidi, in vitreis vasis ferantur. Ex*

C 3

qui-

(i) Wedelius Pharm. in A. F. redact p. 1. (k) Hippocr. Epist. ad Cratev. p. m. 928. 929. (l) Chr. Joh. Lang. Hist. Med. p. m. 10.





quibus haud vanè colligitur, Cratevam ejusq; Avum & Progenitos suos alios, non tantùm collegisse & asservasse seu *reposituisse*, sed & *preparasse* medicamenta ut jam pateat, quid ad *Quercetani* quæstionem; (m) *Habuerunt* nè *Hippocrates* & *Galenus* *distinctos Pharmacopœos*? sit respondendum.

## §. V.

Differunt autem in eo, quòd methodò vulgari ad π *Παρεσκευ* delati, rarò amplius, quàm per sensori externa medicamentorum figuram, formam, & coeteras qualitates sensibus obvias, preparationum quoq; & commixtionum modos usuales, percipere; *Medicorum* verò industria (n) insuper interiorum medicinalium texturam, habitudinem & facultates intimius investigat, ac concretorum *syncrisi* & *diacrisi*, quibus binis variè subdivisis operationibus preparationes Medico-Chymicæ perficiuntur, medicamentosas elicit vires, & accedente *experientiâ* non superficiali, fallaci, sed *rationi* combinatâ, sibi reddit manifestas, quæ in humanorum corporum utilitatem cedere queant.

## §. VI.

Dum itaq; *Pharmacopœorum* (o) *functio* in eò consistit, ut *medicamenta secundum formulas à Medicis approbatis prescriptas*, arte partim *Galenicâ* partim *Chymicâ*, in usum publicum ritè *preparent*, atq; *indigentibus vendant*, cujus ultimi, *venditionis* nimirum respectu, *Pharmacopœæ* nuncupantur; in hæc præcipuè sunt intenti, ut in medicorum & ægrorum sub-

(m) Bohn. de Off. Med. p. m. 435. (n) Conf. Opera Böhni, Hoffmanni, Lang., Pöter, Rivini, Rolfini, Stahl, Wedelii, Willii. & aliorum plurium. (o) Thomaf. Diss. de jure Pharmacop. p. 1. §. 23.



5. 7

14

subsidia, non tantum simplicia, (p) secundum omnes boni-<sup>23</sup>  
tatis notas, iusto tempore, dum pleno gaudent vigore &  
virtute colligi curent, exotica quoque accersant proba, ac,  
quantum fieri potest, recentia, congruis locis & recepta-  
culis asservanda; verum & compositis probas & selectas spe-  
cies, debita circumspectione & fidelitate juxta praescriptas  
formulas, qua nomen, pondus, mensuram ac alia, nihil  
quicquam, inscio eo qui praescripsit, immutando, adhi-  
beant, atque sic unumquodque lege artis pharmaceuticae  
Galenico-Chymicae disponant elaborentque, quod (q) se-  
cundum tria Asclepiadis adverbia medica, cito, tuto & jucun-  
de, prout decet, mederi gestiens Medicus, efficacia, securam  
& grata in officinis constitutis semper reperiat medica-  
menta, nec desiderentur e longinquo petenda.

§. VII.

COMPOSITIONES imprimis sive formulae praescri-  
bendae accuratum Medici requirunt iudicium, ne unum  
alteri addendo, medicamentum sibi componat, inten-  
tioni iustae contrarium; sit e. gr. *Tartarus Emeticus*, cui ab  
aliquibus additur cremor tartari, tartarus vitriolatus aut alia  
salina, quibus per vomitum postulata evacuatio ad alvinas  
quoque dejectiones cogitur, quae tamen in morbis quibus-  
dam, acutis praesertim, febribus malignis ipsaque Peste  
ut plurimum sunt exitiales; atque praestaret, pro corrigendae  
materiae per vomitum evacuandae acrimoniam terreum aut  
marinum aliquid addidisse, quod emetici actio aliquatenus  
inhibeatur, ne ultra sphaeram ventriculi, aut etiam vesicu-  
lae biliariae, ex qua propter connexionem duodeni, du-  
ctus

(p) Dispens. Brandenb. Constitut. qua Pharmacopola tenentur.  
(q) Cels. l. 3. c. 4.





Stūs cholodochici, cystici & cæterorum pororum biliario-  
rum, bilis, concussionē commota, sursum per duodenum  
in ventriculū illabi potest, se extendere, nec intestinis  
illapsū, glandulosam eorum tunicam vellicandō serum  
evacuare queat præter intentionē, quamvis & hujus me-  
dicamenti operatio in omnibus subjectis eadem esse non  
possit, quòd & ratione ventriculi, in aliis robusti in aliis  
delicati, & ratione humorum inibi contentorum, vel vi-  
scidioris vel acrioris vel acidioris, eandem variare neces-  
sum sit, non minùs ob varium exhibendi modum & re-  
gimen.

### §. VIII.

Quanta nimirum momenta in accurata & fideli *prepa-  
ratione ac compositione* medicamentorum posita sint, mini-  
mam hominum partem credere autumo, cūm quotidianā  
experientiā teste, à quovis medicamento formia domi fo-  
risquē venum exponente incautē petantur, quæ salvā con-  
scientiā non nisi ex præscripto Medici approbati ex phar-  
macopoliis à Magistratu ordinatis & visitatis peti deberent.

### §. IX.

Videas enim Bonum publicum turpissimè decipi, dura  
turpis lucri cupidi *circumforanei*, die *Marckschreyer / Quack-  
salber /* & Medicorum & Pharmacopœorum vices simul ge-  
rere affectantes, medicinalia sua maximam partem ex me-  
ris imposturis constata, variis titulis ac encomiis stentoreā  
voce deprædicantes, credulo divendunt plebi. Non multò ali-  
ter procedunt *Laborantes & Desillatores* ex districtu Schwartz-  
burgico plerumq; advolantes, die *Vaudel-Krähmer / Daus-*  
rer/



rer/ qui v. gr. olea, ipsiſ, carvi, ſuccini, roſmarini, lavendula,  
 abſinthii, baſſamus ſulphuriſ, dicta, oleiſ vulgaribuſ lini, pini,  
 olivarum, raparum, terebinthinæ adulterata; *tincturam*  
*bezoarticam cum ſale cornu cervi*, communi ſaltem ſpiritu  
 frumenti oleò cornu cervi tinctò extenſam, imò crema-  
 tum quoddam vil. oleo dicto ſpecificatum tincturæ bezoar-  
 ticæ nomine; unguentum aliquod pomatum fuligine tin-  
 ctum loco *baſſami apoplectici*; magna quoddam ex melle,  
 ſyrupo nigro, baccis lauri, radice gentianæ & ſimilibuſ  
 conflatum, titulo *Theriaca veneta*; *Elixir proprietatis* ex mera  
 aloë epatica, omiſſiſ myrrhâ & crocò, aliaq; plura falſifica-  
 ta, ignariſ, non qualitatem ſed quantitatem rei æſtimanti-  
 buſ obtrudunt, quemadmodum ejuſmodi merces à dictiſ  
 impoſtoribuſ venditaſ ſœpiuſ deprehendi, ac competenti  
 loco fraudeſ illorum demonſtravi.

## §. X.

Nec laudabiliuſ ſed puniçã prorfus fide agunt reſ ſuaſ  
 (in bonoſ viroſ non cadit ſuſpicio) Pharmacopolæ, ſtationa-  
 rii iſti, indebitè præfertim locati & ſupernumerarii, qui  
*preparata & compoſita* partim aliunde lociſ non congruiſ ac-  
 ceſerunt, e. gr. Theriacam Andromachi, pulvereſ varioſ, cor-  
 dialeſ, bezoardicoſ, cephalicoſ, liquoreſ; partim ipſimet  
 parant & componunt, aſt in quibuſvis ferè formuliſ tam  
*officinalibuſ* quàm *magiſtralibuſ*, ſic dictiſ *Receptiſ*, pretioſa vel  
 planè omittunt, vel infra ponduſ aſſignatum addunt, prout  
 in jam nominatiſ aliſque formuliſ, emplaſtriſ, unguentiſ,  
 alibi factitatum eſſe pluſ ſimplici vice adverti. Nimirum  
 in nullum alium finem talia patrant, quàm ut medicinalia  
 minoris aut nulliſ pretii vendere queant quantitate & pon-  
 dere majori, pretiò viliori, tonforibuſ, balneatoribuſ &  
 aliſ



aliis praxin medicam iniquè sibi arrogantibus, de sinceritate autem medicamentorum judicare ineptis, præcipuè cum in compositis fraudes deprehendere res sit difficillima; quibus tamen contra conscientiam & divina præcepta graviter peccant, & Publicum, medicos pariter & ægros decipiunt, non minùs pharmacopoeis conscientiosis in præjudicium cedunt animadversione dignissimi.

### § XI.

Verùm, sint medicamenta ejuscunque generis adversus singulos morbos *disposita*, sint justè *preparata*, artificiosissimè & fideliter *composita*; sit eorundem exquisita notitia & præscriptorum apparatus undecunquè collectus longè numerosissimus: nisi congruus illorum accesserit USUS, plurima aut avertendis aut tollendis morbis frustra vel non innoxie applicabuntur, ceu jam supra cap. 3. innui. Quamvis enim medicamenta nimis nota ac longo usu probata, valetudinariis quibusdam à Medico ordinario præscripta, infirmitates suas ac remediorum euphoriam probè dignoscentibus absque repetitâ consultatione ex constitutis pharmacopoliis petere & in usum convertere concedatur: quamvis & illi, qui sufficienter non sunt imbuti medicâ scientiâ, vires tamen ac doses medicamentorum usualium tam domesticorum quàm officinalium nôsse autument, & morbi, cui mederi debent, notitiam possident qualemcunq; , *in Medicorum defectu* talia exhibere ægris possint; neutiquam tamen hoc *tuiò* procedit in affectibus altiori mentis indagine cognoscendis & curandis, quin uti remediorum, aut propriâ aut empiricâ aliorum prudentiâ dijudicatorum, sæpe numerò ægris, insalutato Medico genuinò, pessimè prospiciatur, dum vel in morbis acutis, opem desiderantibus præ-



præsentem & ubi omnis mora cum vitæ periculo est con-  
 juncta, opportuna medendi tempora interim dilabuntur,  
 quæ posthæc nullò modò, nullâque operâ possunt refarciri;  
 vel perversotalium usu, quò bis peccare non licet, ex le-  
 vioribus ac benignis, graves & maligni excitantur morbi  
 iiq; non rarò lethiferi, quos alioquin summus Archiat. r  
*verò medicine usu* aut avertere aut profligare concessisset,  
 ceu plures ejusmodi ex quotidiana experientia proferri pos-  
 sent casus.


## §. XII.

Tanti profectò refert, medicamentorum justum nôsse  
*usum*, qui plurimos jam dictos artem medicam professos  
 latet. Idem est, ac si aliquis fluviorum Nogati & Vistulæ,  
 fata ac tecta prosternentium inundationes nôsset varia quoq;  
 requisita fluctibus per rupturas aggerum ruentibus objicien-  
 da, lignorum terrarumq; moles & cespites: quasi illò jam  
 nôsset ac posset redintegrare rupturam. Accedat oportet  
 loci disrupti notitia quoad situm, latitudinem, longitudi-  
 nem, profunditatem; atque Archi. Stonica prudentia,  
 quæ tanti apparatus *usum* noverit, ne perversè illa tractan-  
 do applicandoque vel augeatur ruptio, vel opus non dura-  
 turum efficiendò mox recrudescat. Tranquillò coelò, un-  
 dà placidè delabente vel quilibet navigare poterit; ortâ  
 verò tempestate imperitus clavi rector, Æoli existet ludi-  
 brium, ac fluctibus oppugnatum navigium vel rupibus ac  
 cautibus illisum dissiliet, vel subvertetur, *incidens in Syllam,*  
*dum vult vitare Charybdim.* Sic in morbis levioribus, qui-  
 bus vel sola natura sibi relicta nec turbata, domandis fuisset  
 sufficiens, quilibet supradictorum extraordinariè medentium,  
 præcipuè qui bonam opinionem ac confidentiam apud

5. 4

14

1





ægros obtinuere, fortunatus quandoq; Medicus cluet iis, qui  
*omnia ab eventu facta probanda putant.*

§. XIII.

Integrè igitur ut satisfiat intentionibus curatoriis, hæ  
non ex vulgari *experientia*, quam nullus non crepat, sed ex  
*scientifica, rectâ ratione* ferruminatâ petendæ sunt, quâ distin-  
gvi possit, qualia, & quomodo & ubi, quibusvè & quam-  
diu usurpanda sint medicamenta, quò congruus *medicinæ*  
emergat *usus*, contra quæ tamen ad:ò luculenter:

*Prusiacos intra muros peccatur & extra.*

CAPUT V.

§. I.

Quid itaq; de U:U & ABUSU: MEDICINÆ sentien-  
dum sit, ex iis, quæ hætenus, impolitè licet, tradi-  
di, quodammodò jam constabit. Evidentiùs tamen  
cognoscerentur, si ex dictamine ordinis propositi *quartum*  
quoq; artis medicæ *requisitum, remedium* nempe *prudentem*  
*applicationem* delinearem. Pateret nimirum dilucidius, ex  
quali *ratione rectâ*, auxiliò cœlestis Archiatri, Naturæq; &  
Medicinæ Autoris sapientissimi, naturæ minister Medicus,  
admirandi animæ humanæ domicilii, tam *integri* quàm *rui-  
nosæ* cognitione, mediolorumq; quâ inveniendorum quâ præ-  
parandorum notitiâ ritè instructus, munere suo fungens, ex  
medendi methodo (quæ omne id arti medicæ præstat, quod  
navigio clavus & Reipublicæ leges) *ὀμνὴς* nempe ac *πεο-  
Φυλακτικῆς* doctrinâ conservet ac tueatur, *θεραπευτικῆς* verò  
restituatur sanitatem, quò videlicet ordine accurato & certo  
agendorum modo, secundum certas indicationes, eâ quâ  
opus



opus est, PRUDENTIA procedat, ad CIRCUMSTANTIAS  
nunquam non sollicitè respiciens. <sup>29</sup>

§. II.

In hac enim PRUDENTIA methodo medendi junctâ  
verus *Medicine* consistit *Usus*, *zēōis* sive *zēia* aut debitus  
arte medicâ utendi actus, quò medicina in effectum ducitur  
fructuosum, & contrarium ejus, *Abusus* *zēōis*, prorsùs ex-  
terminatur. Atq; ut aliàs *Prudentia* est cogitatio & actio, di-  
rigens universa, ut nihil fiat præter rectum & laudabile (s); Sic  
medica prudentia, totius *Medicinæ* anima, in eo est occupata,  
ut indolem & causas morbi seu *imminentis* seu *præsensis* rectè  
indaget, benè discernat, dijudicatisq; causis & earum effe-  
ctibus ac symptomatibus remedia exploratæ virtutis prom-  
ptè opponat, justò ordine, justò tempore, justâ quantitate  
& formulâ cuivis aptâ, secundùm CIRCUMSTANTIAS;  
quemadmodum *Judiciaria Prudentia*, quæ judicia obit & cir-  
ca decisiones causarum forensium versatur, quâ prudens  
judex non nisi claro ac ex *circumstantiarum* serie evidenti  
reddito factò, jus ex lege causæ conformi applicare novit. (t)

§. III.

Tunc demum intelligeretur dilucidius, *Medicina* maxi-  
moperè laudandus *usus*, *neccitas*, *dignitas*, *difficultas* adhæc  
summa & *operositas*; non minùs & abominabilis, angve &  
cane pejùs fugiendus *abusus*, & quòd, si in ulla quadam re-  
certè in *medicina* verum sit,

*Usus habet laudem, crimen abusus habet.*

§. IV.

Verum enim verò in amplissimum quem mihi hîc aper-

D 3

tum

(s) Macrob. (t) Fr. Hoffm, in Pot. p. 290.

5. 7

14





tum video campum longius excurrere, Minerva indefinenter interpellata vix permittit. Intra sciographiæ tamen limites me continens, progrediar, quousq; ob meditationum expeditionumq; clinicarum vim Hygiea concesserit.

## §. V.

Quoad *Medicinae usum* in conservanda ac tuenda sanitate, cum plerorumq; animis hanc infidere opinionem advertam, *sanos medicinae usu non indigere*, sed iis ac bene valentibus, qui suæ spontis sunt varia convenire vitæ genera, quoad victum, amictum, quietem, motum; cibum capere bis die potius, quam semel, & semper quamplurimum, dummodò hunc concoquant, & quæ plura A. Corn. Celsus c. i. recenset ac permittit; quæ verò quòd intemperantiæ habenas nimis laxent, ac sublimiores homini proprias, *mentis*, functiones superant, omni ex parte non probanda, sed forsitan sic limitanda putaverim. Verè *sani*, quibus *mens, sanò in corpore, sana est*, adultæ ætatis, suæ spontis, juxta rectæ rationis & religionis Christianæ regulas, leges a DEO T. O. M. cum ordine conservationis sanitatis in admiranda harmonia conspirantes, datas, non in signa corporum, non in mentis macie ac veterno, sed *piè ac viruosè*, prout homines Christianos decet, & per DEI gratiam, si modò seriò vellent, possent, viventes: qui insuper constitutionem suam & rerum usui venientium vires, *quid cuiq; proste aut noceat*, sedulò respiciunt, & quousque circumstantiæ permittunt, *prudenter* administrant: hi non adeò difficulter sibi metipsis existere possunt Medici conservatores, nec opus habent, ut accuratà nimis & ad unguem quasi exploratà victus ratione corpus reddant meticulousum, nec de alijs diætæ partibus semper sinistri aliquid suspicentur, singula diri-







ferè apportans *corpus* immortali animæ circumgelatum *mortalis*, in quo corruptionis principium, materia contrariorum capax atq; hinc à discordia ac intemperie humorum scaturientibus morbis obnoxium, & *mox ubi nascitur, egrotare incipiens.* (\*) Ut non sic de sanitate, quæ profectò exigua est & lubrica, *præsente*, conservandâ, quàm de procurandâ *absente* parentum sollicitudo esse debeat, ~~quia~~ *vitiis nemo sine nascitur* (& mentis & corporis) *optimus ille est, qui minimis urgetur.* quàm proh dolor! *connatam* miseriam plus satis testantur numerosæ ac dolorificæ recens natorum passiones, affligentes eorum corpuscula scæpenumerò ad interneconem usq; , eòq; indeclinabiliùs, *quò morbosior parentum fuerit constitutio*, meliùsq; nati ut gaudeant, lubens concedo.

## §. VIII.

Non prolixè commemorabo, quàm inopinatè per *lac nutritium* mille modis corruptum, aut excessivè obtrusum, innocentissima pusillorum vita in maximum exponatur discrimen: nec demonstrabo, qui ob merè naturalem constitutionem, *humidissimam* nempe & *mollissimam* musteam multifariis particulis, contrariis, acidis, salinis, biliosis, refertam, vel solâ saltem aëris certâ constitutione, austrinâ, aquilonari, ingruente, infantiles exsurgant morbi, *variola, tussis*, &c. ceu anni 1712. exitus & principium anni 1713. satis docuère. Innuam modò, quòd & optima infantum constitutio, quæ ex bono eorum habitu, facie floridâ & alacritate colligitur, plena sit periculi.

## §. IX.

Observatio siquidem non est rara, tales floridos ac supra ætatem nimisq; maturè *sapientes* vix esse longævos, ceu vul-

(\*) Augustin.



5. 4

14


vulgata muliercularum trepidè gäudentium, admirantium, <sup>33</sup>  
dictio sonat: O das Kind ist gar zu flug/ das wird nicht  
alt werden! ratio autem, quòd exitus sæpè dicta probet,  
paucis cognita, hæc est: præmatura hæc *sapientia* indicat  
non solùm *mentis* seu *intellectus* præcocem maturitatem, sed  
& *spirituum immodicam agilitatem & nimium vigorem*, ceu ordi-  
nariè quidem infantes mobiliore eoq; ad commotiones ani-  
mi, iram, terrorem magis proni sunt; si autem hæc agili-  
tas, mobilitas & alacritas sit *excessiva*, prout infantes paren-  
tum ILLUSTRIMUM, aliorumq; generosò victu, vino, aro-  
matibus, alioq; medi-amentoso infra nominando se delectan-  
tium, sanguineo-cholericorum, sic constitutos deprehen-  
das, tunc plerumq; *præcox* exsurgit *intellectus*, à nimia quan-  
titate, agilitate & alacritate, activitateq; spirituum, qui à levi  
quòdam errore, quin, ceu modo dictum, aëris certâ con-  
stitutione commoti, massam sanguineam ceu matrem spiri-  
tuum turbant, intemperieq; auctâ ac compage humorum  
solutâ & putrescente febres acutæ, variolæ malignæ, epi-  
lepsiæ, aliæque mortis præmaturæ causæ existunt, nisi  
& in præservatione & in curatione tractentur cautissimè,  
peritissimè.

X.

*Adultorum* sanitatem inquirere non prolixus ero, certum  
æstimans, plurimos *σοσῖν ἐσθραδίην*, circumire, munia sua o-  
bire, & tamen exactè non valere, qui verò sæpe feliciores  
sunt præ iis, qui optimâ gaudere sanitate gloriantur, quòd  
hi nimium colori suo ac evexiæ quadratæ, athleticæ, creden-  
tes, fidentes, *sanis omnia esse sana* æstimando, varios in qui-  
busvis diætæ partibus committunt errores, ac citius in libi-  
tinæ decurrant censum, dum illi, qui sapiunt, magis sibi ca-  
vent, & ad avertendum hostem quidvis faciendo, tempestivè

E

me-





medicam degant vitam, eoq; fiant longævi. Nec *Feminini generis*, commiseratione dignissimi, bifariam, ceu homo, ceu mulier, morbis expositi, mala inevitabilia recensibo.

## §. XI.

*Spontis suæ* qui sint homines, permagnum non video numerum, qui *ἀνομοι* seu Exleges sufficienti commoditate ad valetudinem diligenter curandam gaudeant, cum nec Illustres Viri, nec alii secundum varia vitæ genera, in Ecclesiastico, Civili, Militari ac Oeconomico statu occupati, qui alterius non sint, ut sui esse possent, de eâ gratulari sibi queant, multominus ipsimet dubiæ valetudinis præcautores, ingruentiumq; morborum depulsores, *Medici*, de quorum molestissima functione jam dudum pronunciavit *Hippocrates*: *Ars medica multum exhibet laboris, quibus cognitio ejus contigit. Illis, qui Usu ejus indigent, utilis est, imò & plebejis commune bonum, his autem qui eam exercent, planè est molesta; qui oculis perlustrant pericula, nullâ voluptate contrectant, & ex alieno malo proprias sibi demerunt molestias.* (y) Nec rarò ipsis quibus ægri decumbunt,prehenduntur morbis, ac consuetis necessariisq; motûs & quietis vicissitudinibus, quibus plebejæ animæ, imò & bruta gaudent, carentes, aliis, iisq; sæpe numero protervis, ingratis, inserviendò seipfos consumunt, & *presentes & absentes* omnes ingenii sui nervos ac vires ad conservationem proximi intendunt, hinc non rarò:

*Quò propior quisq; est, servitq; fidelius agro,  
In partem lethi citius venit, atq; salutis  
Spes abiit, finemq; vident in funere morbi.*

## X. I.

Quotusquisq; præterea in administratione diætæ proficietia & nocentia attendit aut observare potest, sive non illud  
fal-

(y) lib. de flat.



35  
saltem, quod sapie, nutrit, corrupto appetitu malè judicans  
tales committit errores, quibus morbos conciliet, si non  
mox, attamen lentè ad Libitinam ducentes. Famosum pro-  
verbium, *medicè vivere, pessimè vivere*, plurimi convertunt  
in veriverbium, cùm forsitan, infimà plebe & rucolarum  
exceptà familià, pauci sint, qui non *medicè* ac eò *pessimè* vi-  
vant sine Medico. Quid per voculam, *dieta*, intelligatur,  
supra cap. 3 innui: non minus quid sint *alimenta*: quòd ea quæ  
nutrire nequeunt, alimentorum nomine non sint digna,  
Quòd verò *alimentorum* à Creatore sapientissimo innumerà  
varietate liberalissimè concessorum vice, quæ ceu *similia*  
corporis humani partibus conservandis, nutriendis, apta  
sunt, talia in corpora sanorum ingerantur, quæ alimentis è  
diametro sunt *contraria, medicamenta* nimirum, atq; sic *me-  
dicè*, ast abusivè, intempestivè, adeoq; pessimè vivatur, in  
proclivi foret exactè demonstrare, dummodo per potulen-  
torum esculentorumq; genera ambulare vacaret,

§. XIII.

Gustemus tamen *ex potulentorum* penu, sic dictum *Cry-  
matium, vinum* quod vocant *adustum*, ex fecibus vini aut fru-  
mento destillatum, *aque visæ, stomachalis, pectoralis*, &c.  
titulis dotatum. Polonorum *Wodka* / *Gorzolte*; Germano-  
rum *Brandwein*. Medicamentum hoc est quod iis, quibus  
ex senio vitalis calor paulatim deficit, vel in locis habitant  
frigidioribus, vel hyberno aëri scepiùs se exponunt, aut ob  
morbum eò indigent, pro diversitate ingredientium *medicè* &  
*medicè* sumtum, conducit. Pueri autem, adolescentes, viri calo-  
re internò adhuc abundantes, si absq; discrimine & sine Medi-  
ci præscripto potant, iniquè Creatorem acculant, quasi non  
sufficientem corpori ac ventriculo dederit calorem pro ci-  
borum





borum concoctione necessarium, & eò maximè delinqvunt; atq; sic *medicè* vivendo in manus Medici incidunt, imprimis qui jejuno & vacuo stomacho matutinis horis talia ingurgitant, dum malum quoddam stomachicum sibi imaginantur, quod tamen in pulmonibus, hepate, liene, aliq; vitcere aut massa sangvinea latitat (vid. cap 3. §. IX.) Hoc Anatome cujusdam defuncti probavit non ita pridem, qui per aliquod tempus respiratione difficili *absq; tussi* (ex neglecta pleuritidis curâ fundamentali) laborans, omnem mali sui asthmatici causam ventriculo attribuit, eundemq; ipsemet curaturus varia *ἀνα κρη κάρω* evacuantia, & cremati varia genera largiùs hausit, ex quo hydropica pedum intumescencia inseqvuta ac superveniente post repetitas excandescencias paralyti, mors ipsa. Hujus sectione apertus ventriculus nihil monstravit præternaturale, *pulmones* autem undiq; & ubiq; cum costis erant connexi & corrupti; *cordis* item dextra auricula mirè extensa, pomi instar majoris & coagulato sangvine plena, *sinistra* verò planè corrugata & ferè obliterata, *lien* validè parvus & ulcerosus,

## §. XIV.

Hujusmodi maximè nocivos ac lethales effectus *Cremati*, qui ex proprio & medicastrosum consilio potavère, novi plurimos, adeò ut non satis dolère queam vices eorum, per insanum ejus abusum potu hocce medicò sibi inducentium *appetitum prostratum*, *sitim perpetuam*, *tussim*, *pleuritidem*, *hæcticam*, *phibisim*, *hydropem*, *memoria debilitatem*, *stupiditatem*, *paralytim*, *apoplexiam*: summam, *mentis & corporis* corrumpunt functiones, *intellectum*, *ratiocinationem*, *voluntatem*, ut nec Deo nec proximo inserviendi potentiam retineant, hinc maximè opus sit, ut abusum hunc, præ aliorum

rum



rum omnium Dei donorum abusu, perstringerent *Anima*  
*Curatores*, qui probos efficere Christianos seriò cupiunt. Po-  
lonis ac Moscovitis non adeò perniciosum potum hunc  
igneum esse novi, ast & ex istà natione plurimos obtinui  
ægros, qui ejus abusu supradictis morbis corpora sua man-  
cipavère, & aliud quid bibisse, nimis serò optavère.

§. XV.

Nec Cereris nectar, *Cerevisia*, tam justè semper prostat  
cocta, quæ aut lymphæ restauratoris aut esculentorum ve-  
hiculari nomine digna deprehendatur, quin ob crassitiem sy-  
rupiformem Poëtæ cujusdam, dictum obtineat locum,

*Nescio, quod stygie monstrum conforme paludi,*

*Cerevisiam pleriq; vocant: nil spissius illà*

*Dum bibitur, nil clarius est, dum mingitur, unde*

*Constat, quàm multas feces in ventre relinquat.*

Crassa enim & fortis, amara, lupulata nimis, non multum  
utilior est crematò dictis juvenibus, biliosis, literarum cupi-  
dis, in quibus, quò plùs est pota, plùs sititur cerevisia, ac ea  
*cerebrum visitans cavernas ejus percellit, etenim:*

*Æquò si pluris bibitur, Cere dividitur brum,*


*Nam Cerebri findit Helluo quicquid habet.*

§. XVI.

Quot errores in VINI usu, inæstimabilis alioquin Dei  
doni parentur, notum equidem est; at verò temperamento  
hominum longè magis analogum est VINUM proÿgneo  
potu cremati, ideoq; pro conservanda sanitate & contra va-  
rias infirmitates, langyores & morbos plurimos proficuum,  
non æquè ut *contrarium*, sed augendo spiritui vitali simile

E. s.

æsti-





ælimandum. Hinc rectissime & medicè *Divus Paulus*, seu communi sapientiæ divinæ, quæ pollebat, ductu, seu habitâ consultatione cum *D. Lucâ Medico-Evangelistâ*, *Timotheo* suo dilecto *usum* commendavit Vini. *μηκέτι ὑδρονότοι, ἀλλ' ὀίνῳ ὀλίγῳ χρῶ διὰ τὸν σῶμαχον σὲ, καὶ τὰς πυκνὰς σὲ ἀσθενείας.* *Ne amplius aquam bibito, sed vinò modicò utere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* (2) Selectus tamen est habendus pro diversitate Vini; ætatis, temperamenti, dispositionis morbosæ, utentium, ne, absente imprimis prælibante Medicò, vini genus acquiras damnosum, nec more *Palatino* ingurgites, quò *uti* debuisses more *Paulinò* seu verè medicò.

## S. XVII.

Reliqua potulentorum genera, *Mulsum*, *Theam*, *Caffeam*, *Chocolatam*, quin & *Nicotiane fumisuctiones*, & omnibus non fructuosum medicum usum, siccò præterire pede, temporis jubet penuria, præprimis eum difficilius procedat, ex tabacophilorum manibus surripere fumisugia, ac clayam *Herculi*. Nec de *Esculentorum* numero quidpiam commentaturus, quòd cuiq; qui pituitâ non laborat, suboleat satis, gustuiq; pateat, quàm *medicamentosa* & *peissima* sæpè, ingredientia licet sint optima, ferculorum, quæ mensis luxuriæ deditorum quotidie imponuntur, sit *compositio*; quasi non in culina sed in officina, non à coquo sed à pharmacopæo condita sint & præparata, chemicam perpeffâ syncrîsin & diacrîsin; adeò *excessivè* odorata, sapida, acria, acida, salita, saccharata, aromatîsata, &c. quæ non *nutriendi*, *alimenti*, sed *alterandi*, id est, morbos curandi, aut, indebitè, temperaturis incongruis applicata, morbos & menti & cor-

pori


(2) Tim. c. 5. v. 23.



pori infligendi facultate polleat, intemperiem hominis *originariam*, quæ à primò statim nativitatis exordio, ope legitimi usûs medicinæ, corrigi potuisset, debuisset, qualitativus *accessorius* augmentia.

§. XVIII.

*Panis* tamen noster quotidianus, 'ex frumento, præcipuè *siligine*, & *tritico* præparatus, universale *Esulentum*, universo ferè orbi familiare, totq; seculorum ac nationum longò usu comprobatum, hincq; alimentorum faciliè princeps, encomiò suò maudandus est. *Omne* quasi alimentum absolvens, nomen obtinuit *ὄπι τὸ πᾶν*, *omne*, quò ceu naturæ hominum validè consentaneo, & ventriculo citra fastidium gratò, non faciliè quisquam *medicè* ac *pestimè* vesceretur, nisi *indoles* & natura panis grossioris *furfuracei*, ab illo, qui ex farina purissimâ paratus est, multum distaret. Dicitur grossior, jam priscis gentibus cognitus, *συκομιστὸς ἀγῆ*, vocatus, ex omnibus frumenti granorum partibus constans, etiam dicitur fuit *Coliphium*, *ὄπι τὸ καλὸν* membrum & *ἰφι*, *robur*, quasi membrorum *robur*. Tali pro victu ordinario utuntur *Westphali*, quò tamen peregrinans *Gallus* vesci noluit, sed *servi Nicolai* stomacho convenientiorem judicavit eundem, dicens *bon pour nickel*, ex quo dicitur *Westphalorum* panis, cognomen *Dumpnickel* obtinuit. Non solùm huic genti, habitu firmo præditæ, & laboribus assuetæ, victus talis crassus panis grossi, *pernarum*, *farceiminum*, *carniumque* aliarum fumo induratarum, probè conducit, sed & aliis; dummodò impigrò labore ac motu particulæ crassiores viscidioresq; benè dividantur, præparentur, subtilisentur, ut non tantùm intimiori allisione ad tubulos corporis in augmentum fibrarum cedant, verùm & spiritus progenerent  
fatis





fatis firmos & sufficientes, quamvis non fluxiles, inconstantes, satis tamen activos; adeò, ut, qui solidioribus hinc vesci voluerit, *in sudore vultus sui ut vescatur*, (a) opus habeat, non more eorum, *qui sudant, quando vorant, frigescent, quando laborant*, sed ut impigri sint ad labores, quò, sicuti benè *ingerunt*, ita & ingesta benè *digerere & egerere* possint. Imbecillis verò, quiete ac otio fruentibus, nec assuetis laboribus, talia, non, nisi incommoda valetudinis varia causari queunt, hinc & panem ex purissima incerniculo excusâ farinâ subactum, victumq; alium molliorem retineant oportet, quamvis interponere panem furfuraceum abstersivâ seu *alvum servandi apertam* (b) facultate dotatum, non interdicitur. Rusticos autem & alios egenos, are frumentoque carentes, planè furfuraceò pane, ex furfuribus meris paleisque conflato vescentes, quis non verè dixerit, eos *medicè vivere & pessimè*. Absente enim farinâ, qui queunt nutrire furfures? non enim nutriendi, sed alvum ducendi facultate sciant. *Syncomistum* iis itaq; & *Coliphium* victui concedant, qui eorum laboriosa opera & robur ac firmitatem corporum rusticis necessariam exposcunt, atq; morbos quoque à *penuria spirituum & massæ sanguineæ dissolutione* oriundos præcavere, putridos, contagiolos, cupiunt.

## §. XIX.

In reliquarum partium *dietæ administratione* commissos quotidè errores indicare itidem possem facile, quoad *motum nempe & quietem, amictum, somnum & vigiliam, excernenda & retinenda, animi pathemata*, quæ omnia propriò hominum rationis regimine ac freno carentia, curatelâ rationali medicâ indigent maximè, & *ad tuendam & ad restauran-*

(a) Gen 3. v. 19. (b) Hippocr. de diet. l. i.



*randam sanitatem*: Consideremus modò *Animi pathemata*, seu *commotiones & affectus*, quos *miseros mentis tumultus* scitè appellat *Flaccus*; semper eos evitare difficulter procedit; ac, si repentè & ex improvìso quempiam aggressi fuerint, imbecillitas humana præcavere, aut subitaneos eorum insultus firmò æquè pectore excipere vix novit, quin, in sexu præprimis sequiori, ac pavidâ ætate infantili, & in viris robustis, rosæ instar elegantissimæ florentibus, maxima ac exitialia exinde sequantur mala. Massâ enim sanguineæ circulus ac spirituum æquilibrium facilè ab iis turbatur, dum *vel* in excandescencia, ira, gaudio nimio, amore excessivo insano; motus eorum augetur nimis & raptu tali miscentur ac confunduntur mala bonis: *vel* in metu, timore, tristitia, mœrore, terrore, minuitur inhibeturq; motus vitalis, atq;, absente tempestivò *Medicine usu*, morbi horrendi oriuntur. Sic plura novi exempla, quod insequuta exinde fuerint *appetitus prostratus, nausea, vomitus, diarrhœa, cephalalgia, cephalœa, cardialgia, syncope, lipothymia, febres varia, benigna, maligna, variolæ, morbilli, & ipsa quoq; dirissima Pestis, item, paralysis, hemiplegia, apoplexia, epilepsia, menocrypta, Hydrops, phthisis, malum hypochondriacum, scorbutus, &c. &c.* & ultima linea rerum, *Mors*, ex istò, illò, pathemate *repentinò*, pro subjectorum varietate & constitutione.

## §. X.

*Animi verò motus*, qui *successivè* excedunt; *meditationes* nimirum & *contemplationes*, immodicè ac intempestivè institutas, adversas esse sanitati, plurima *literatorum* valetudinariorum exempla testantur, dum exhaustis, post prandium

F

diurnam





dium & coenam præprimis meditandò ac lucubrandò, spiritibus, vappidus tantùm liquor massæ sangvineæ ac nervis supermanet, qui haud sufficiens est functionibus humanis, corporis pariter ac mentis, corruique domicilium, nì *Medicina usus* tempestivus accedat.

§. XXI.

*Excernenda & retinenda* quod attinet, unicum modò sit paradigma; profusio nempe illius, quò sexus masculinus ad opera *mentis & corporis* centies numerosiora opus habet, illicitè, intempestivè & plusquàm brutaliter perpetrata. Frustrà salax ac venereus homo, qui ex supradicta *dietâ* falsò *medicâ* nimis flammantes sibi conciliavit spiritus, ceu infallibile sanitatis signum judicat, si libidinosò correptus fuerit appetitu, stimuloque excernendi, quò aliâ vice indigeat. Sciat enim, non rarò hoc ab acquisita *acrimonia* morbosò dependere, quâ membra stimulantur & mens irritatur, cujus concupiscentiæ corpus vice versa libenter, ast impiè, respondet, nì ratio juvenilibus imperet ausis, & iste tentator diabolus ejiciatur precibus & jejunio, ac temperantiâ, laboribus item; *res age, tutus eris*, nam:

*Otia si tollas, perire cupidinis arcus.*

*Queritur, — — — quare sit factus adulter;*

*In promptu causa est; desidiosus erat.*

Præterea *medica* capessetur *dietâ*, carens *aphrodisiacis*. Vitando acria, aromatica, generosa, cerevisiam fortem, crematum, vina præcalida, &c. tollatur *faria* quoque, si *dietâ* non sufficiens fuerit, congruis medicamentis. Si largiores potus vespertini contigerint, non rarò exinde tales infestabunt  
sti.




stimuli, pollutionesque, dum lotiò diutius retentò, vesicæ sphincter fortius se contrahit, & musculi perticæ apocryphæ rapiuntur in consensum. Itaque & cubitum eundò & post mediam noctem, & ampliùs, si excernatur lotium, & vesica vacuetur urinaria, sat præcavebuntur dicta incommoda. Sed hæc in aurem; ut & in hæc re agnoscas laudabilem *Medicine usum.*

§. XXII.

Omnium inevitabilium inevitabilissimum est AER, cujus necessaria, qualiscunq; licet mentio est facienda. AER enim, seu *Atmosfera*, in quâ versamur & sine quâ nec paucula vivere possumus momenta, subtile est fluidum, ex æthereo, elastico & vaporoso, seu tribus principiis constans constitutivis, varii generis particulis (quæ ex quibuscunque effluvia aliqua & vapores emittendi aptis corporibus oriuntur) continenter transeuntibus refertum, grave, ac expansioni, condensationi, maximis, variis, obnoxium, non solum ab extra, corpora nostra ambit, porosque cutis permeat, verum & per narium tubulos in CEREBRUM, per fauces & oesophagum cum assumtis ac deglutitis, cibo, potu, salivâ, in cavitatem *stomachi*, præcipuè verò & copiosissimè per asperæ arteriæ ramificationes in PULMONUM cellulas penetrat ac recipitur: quemadmodum inspiratus *Aër* cum aliis effluviis, ex naribus (per quas potissimum respirare fas est) & ex ore patulò seu caminò aliquò fumi instar prodire cernitur tempore hyemali, & observari potest aliàs, si halitum oris vitro aut speculo terso frigido affles, quin & per *pulmones* & vasa sangvifera cum bronchiis communicata iplum SANGVINEM ingreditur, quoad ætheream imprimis partem subtilissimam.

F 2

§. XXIII.





## §. XXIII.

Quis itaque non judicabit promptè, ex tanta *Aëris* cum mortalibus indefinente societate tales expectari morbos, quales *Aëris* facere potest constitutio? cum & quævis *contagii* genera *Aëris* hauriantur commerciò. Non enim procedit omni ex parte contra excessus ejusdem nocivos se munire? Corporis extima licet vestimentis sint defensa, visceribus tamen in *Pectoris* cavèa contentis, ac *Cerebro*, qui possumus exactè prospicere, ab inevitabili & reciprocante *Aëris* in- & expiratu vitam ducentes precariam. Si in *naturali*, temporibus anni & diei horis respondente constitutione aeris, morbi cuius tempori proprii, magis hoc quàm aliò tempore & oriuntur & exacerbantur; multo magis in *preternaturali* & *insolitâ*, quæ repetitis & subitaneis caloris ac frigoris mutationibus, à ventis intempestivis, & naturâ regionum ac loci accidit, partim qualitibus, partim miasmatibus, ad qualitates sic dictas, primas, secundas, tertias non reducibilibus, provocantur ac foventur, *epidemicè* imprimis *grassantes*, *cattarrhi*, *variolæ*, *morbilli*, *tusses*, *pleuritides*, *febres variæ*, *malignæ*, *dysenteria*, & horrenda quoque *pestis*, mala diversimodè causata, prout ab alio excessu *coagulari*, ab alio *fundi*, ab alio *inquinari*, sanguis ac humores alii spiritusque possunt, iisque & calorem ac motum, & fluiditatem, puritatem, debitamque perdere crasin.

## §. XXIV.


Impetuosos *Ventos*, ac intempestivos causarum morborum numero incorporamus, aut, si *Venti* sileant? Providentia sanè divina, mundum sublunarem, ut ventilatio-  
ne



ne conservet necessariâ, *Ventos* constituit, *Solis*, zodiaci per-  
lustratoris assidui, *Calore*, ex vaporum elevatione, dilata-  
tione nubibusque rarefactis spirantes: qui quamdiu flatu suo  
salubri omnia perspirant, noxium quicquid in terra & atmo-  
sphaera est, corrigunt, & vegetabilia ac animalia aspirandô,  
superfluas absumunt humiditates, ut nativam suam cras-  
situdinem retineant singula. Hâc igitur *ventilatione* balsamicâ salutarî  
si globus terreus destituatur (quod langvente *Solis* vir-  
tute & influxu impeditô, ex quacunque hoc fiat causâ, con-  
tingit,) diversa quoq; exinde effecta oriri necessum est, dum  
non solum *Vegetabilia*, ac verminosam venenosamque ac-  
quirentia putredinem, nascuntur humidiora, sed & *anima-  
lia ventilationis* restaurativæ defectu, in ciborum potuumq;  
digestione ac segregatione heterogeneousum deficiunt, hinc,  
pro varietate subjectorum ac dispositione, variis corripiun-  
tur morbis, quos *hominibus* contingentes *epidemicè* grassantes,  
qui ut plurimum acrimoniâ vellicante ac erosione sese exe-  
runt, jam recensui, ac *brutorum* quoque morbi & strages,  
hinc, & simul à pernicioso *Meteoro*, *Rore melleo*, *farinaceo*,  
*Rubigine*, *Hong*, *Shau* / *Wehl* *Shau* / potissimum derivan-  
da mala constant.

## §. XXV.

Inevitabile nimirum *Atmosphære* in corpora animan-  
tium præcipuèq; hominum luculenter observare dominium  
queunt ii, qui in corporibus suis varias mutationes, alte-  
rationes & perturbationes, atque vel alacritatem vel langui-  
dem mentis pariter ac corporis, instante aliquâ *Aëris* muta-  
tione aut tempestate, post nychthemera sæpè demùm fu-





turâ, sudô adhuc cœlô advertunt. Valetudinarii imprimis ac notabiliori intemperie affecta corpora, & quibus part um robor inæquale seu in membro aliquo à lapsu, icſu, vulnere, fonticulis, catarrhis, læſio contigit, ac fibræ, vaſa capillaria, nervuli, ab ordinario ſitu & locô naturali contorta, ſemota aut compreſſa; hi ut plurimum vel leves Aëris prævias mutationes & tempeſtates, ex ſerena in pluviam aut contra abituræ, prænuncias ſentiunt, ſive in toto corpore ſive in hac aut illâ parte, punctiones, pruritus, dolores, læſitudines, oſcillationes, pandiculationes, cordis anguſtias ac palpitatiônes, cephalalgias, cephalæas, ſternutationes &c. adè ut propter tempeſtatum futurarum præſcientiam *Calendaria* typis excuſa nec inſpicere, nec nova quotannis ſibi comparare opus habeant, cùm ipſi nolentes volentes non rarò poſſideant *perpetua*, & variationes tempeſtatum futuras multò certius in proprio ſuo corpore ſentiant, quàm in *ſalendaris* macrocoſmi ergò conſcriptis invenerint prænuntiatas. Sic vel ſolâ Aëris mutatione in apriçunâ prodeunt morbi, qui ſilentes aut latentes ex ſomno quaſi excitari ſolent per diætæ errores, ac graviora animi pathemata, in iis quoque, qui optimâ fruuntur diætâ, & miſeris tumultibus mentis obnoxii non ſunt.

§. XXVI.

Verum enimverò, cùm ea quæ Aëris commerciô contingunt, juſſu DEI Ter opt. max. per *Sydera* effici deprehendantur, (igne ac calore ſubterraneô quoad *Meteora* non excluſô) prout paulò ante SYDUS vaſtiſſimum, SOL, quoad Aëris ventilationem, eſt citatum, atque ſummus:

*Ille*



*Ille Opifex rerum, mundi melioris Origo*


*Os homini sublime dedit, cælumq. tueri*

*Jussit, & erectos ad SYDERA tollere vultus: (γ)*

Itaque & Cælum & Sydera intuens, non possum non in summam Omnipotentiae, Sapientiae & Beneficentiae Divinae perpetuo prolabi admirationem, atque cum (δ) Davide: *O quàm magnificata sunt opera tua, ò Jehovah!* & cum Syracide, (ε) *Magnus DEUS qui Solem & cætera Sydera fecit!* exclamare, ac insuper *Influxus Effectusque* eorum, sanitati aut faventes aut adversantes, in *Calendaris* quoque consignatos, animò meò indentidem revolutos hic delineare. Sicut enim SOL, Rex Planetarum, Cor mundi, motu suo celerissimo totius mundi systemati inserviens, ad universi hujus, & hominis præsertim, salutem diversa anni tempora sibi mutuò succedentia efficit, & ætherem indefinenter agitando, *Calorem*, rarefactionem & motum producit, eoque ceu modò dictum, formalis causa ventorum existit, ac *Calidi* dispensator & præses merito audit; sic LUNA, magnitudine ac luce equidem inferior Sole, motu suo itidem sua peragens, ceu Domina humorum, *Humidi* dispensatricem agit & cum phasibus suis ac vicissitudinibus, dum *crescit*, *decrescit*, locò eòdem *stare nescit*, consideratione dignissima est. Omnium enim *Astrorum* infima & globo terraqueo maximè propinqua cum sit, *Ærem* alterando, mutando aut turbando, notabilem tempestates ciendi & variandi obtinuit potentiam, sive id præstet lumine sive *Atmospheræ*

(γ) Ovid. metamorph. l. 1. (δ) Psalm. 104. v. 24.

(ε) Syr. c. 43. v. 5.





*pressionē*, à quā ultimā Physici non immeritò deducunt *Maris fluxum & refluxum*, ab eādēque & Microcosmi ac transpirabilis Sanctoriani compressio & oppressio derivanda, quòd & meteororum pressio (quæ tamen in mare vim tantam non habet) horrendam sæpè alterationem inferre observetur. (§)

## §. XXVII.

Ob admirandam itaque Macrocosmi cum Microcosmo analogiam & *naturalia & morbosa* in hominibus effecta, cæteris paribus, influxui Lunæ rectè adscribuntur, prout sexus sequioris fluores menstruales ab eadem Atmosphære pressione & in humores *Lunæ* dominio arcessendi sunt, quamvis (n) aliqui tempora illarum evacuationum non in omnibus eadem observantes, arduum determinatu illud astiment, ab aliis verò concursus effectus lunaris (θ) concedatur, quæ tamen salvâ Lunæ potentiâ, faciliè explicari & limitari poterunt, à mutatione ætatis, temperamenti, ab Idiocrasia, vitæ genere, &c. Plus cateroqui vice simplici observavi, fluorem hunc & in morboſis non nisi consuetâ dierum periodò se stitisse, ast non rarò periculi plenissimū, ceu e. gr. non itâ pridem fœminæ generosæ XXII. annorum variolanti contigit, quartò eruptionis variolarum die, ubi ob duplicatum organum, variolosum & menstrualem, variolarum retrocessionem jam causans iusto copiosior hic fluxus me  
coë-

(§) Valentin. prax. infallib. p. 624. (n) Bruno. Lexic. Med. p. 848. (θ) Stahl. propemt. de menstr.



5. 4  
14

49  
coëgit, congruis remediis eundem cautè sufflaminare, ex quo reveræ quidem variolæ, ast horrenda simul symptomata integræ faciei, oculis, naribus, faucibus, pectori, manibusque admodum dolorifica & ominosa attulere, quæ tamen adhibendis sollicitè adhibitis, singulari DEI gratiâ, feliciter profligata, variolis optimè maturatis, siccatis, absque ulla labe insequuta est curatio perfecta. *Morbos* verò à diversâ lunæ situatione, circa l'hasium tempora, itidem vel minui vel augeri nervosum systema patitur ac occupatur, utpote *Arthritis, Podagra, Epilepsia*, sed & alii, imò dirissima quoque *Pestis*. Unde in omnibus ferè morbis aut præservandis aut curandis maximam attentionem tempora hæc exigunt, ut medicamentis sedulò ac tempestivè prospiciantur ægri.

§. XXVIII.

Præter SOLEM & LUNAM, an & reliqui Planetæ, *Mars, Mercurius, Jupiter, Venus, Saturnus*, dicti, tum generali alteratione macrocosmi, tum speciali & individuali, vires in microcosmum exerendi potentiam habeant, ceu de sole & luna fateri oportet, diversa diversorum licet sit sententia, subsumi tamen faciliè potest, eos non minoris ac deterioris esse conditionis, licet non adeò evidens eorum sit operatio, quæ influxui eorum attribuitur, in miscendis temperamentis, tam animantium, quam præcipuè hominum, quæ postcà ingeniorum inclinationes sequi affirmantur.

§. XXIX.

Omnes verò SYDERUM *Influxus & Effectus* commodè

G

1714  
MS.  
14





modè (ι) referuntur ad *Aërem*, atque per *alterationem aëri impressam* explicantur, quæ macrocosmi cum microcosmo constituit commercium, communicationem & sympathiam. Etenim *Aër*, ceu supra dictum, ex tribus constans principiis, non solum quoad *vaporosam & elasticam* seu aqueam & halituosam partem, sed maximè & κατ' ἐξοχήν quoad *ætheream* considerandus venit. *Spiritus* verò animantium & præprimis hominum, naturæ *æthereæ* sunt participes, qui ceu lucula vitalis & *Calidum innatum* ἀνάλογον τῷ τῶν ἀστέρων φωτὶ, (κ) simile elemento *stellarum*, ad vitam microcosmi à Creatore sunt dati, cum *humido*; prout & macrocosmi vita in calido & humido consistit, & *Sol calidi*, *luna humidi* dispensandi sunt autores. Ad *Ætheris* itaque mutationem quoad *lucem* spiritus, quoad *humidum* lympha immutatur; hæc tamen limitatione, ut, si principia hæc vitalia in homine, *calidum & humidum*, in statu suo vitali integra, ac firma sint, ea ab ætheris mutatione seu Astrorum influxu, in harmonia sua vitali iustaque temperie non facîle turbentur; si verò dicta humanæ vitæ principia fuerint infirma, imtemperata, quoad *calidum* ceu formam, aut quoad *humidum* ceu Materiam, sive fluidum, (ceu principium astrorum, *Calor*, passivum verò *fluidum* dicitur, *fluidum* verò seu *humidum* in animalibus ac in homine quoque, non estimandum est aqueæ & ævæ tantum sortis, sed plurimis aliis ac diversis particulis (λ) mixtum) tunc potissimum Astrorum influxus seu Aëri communicata alteratio, humores jam dum aut quantitate aut qualitate peccantes, & illorum incolas *spiritus* variè afficit, prout lym-

(ι) Wedel. *Pathol. Med.* S. 2. c. 8. (κ) Aristol. (λ) Hippocr. de *Vet. Med.*



51

14

lympha ac serum acrimoniâ variâ laborat, effervesceit,  
ad orgasmum proclive & ad morbos hos illos est dispo-  
situm, tam in massa sanguinea quàm in partibus his il-  
lis, internis aut externis.


§. XXX.

Luculentissimam igitur jam habemus rationem  
morborum vernalium, autumnalium, æstivorum &  
hyemalium; atque qui & quare circa æquinoctia ac  
solstitia magis inferantur vel auferantur morbi; ut &  
quomodo morbi §. 27. dicti, tempore lunari diversò  
incrementum capiant aut decrementum. Non minùs  
quoque ex dictis patet, Astrorum influxus non esse  
effectuum morbosorum *causam proximam*, quæ omnia  
corpora sine discrimine reddat morbida; sed *remota*  
tantum est *causa*; quæ morbosum, quod in corpore est,  
aut latet, aut morbos citat, supponit, cum corpora ex-  
actè sana, difficulter moveantur illis. *Corpora*, inquam,  
*sana*, hominem sanum, mente & corpore sanum, ceu  
in capitis hujus primordio innui, quem tamen cautiùs  
invenieris. Astra verò ceu actionum humanarum Re-  
ctores agnoscere, quæ in ipsam animam rationalem seu  
mentem agant & voluntatem hominis ad hoc aut illud  
flagitiosè agendum cogant, non credo, cum contra fi-  
dem Christianam hæc sententia militare videatur, ideoq;  
illi, qui peccata sua & delicta in Astra transferunt, frivole  
agunt. *Indirectè* verò in *vitiis* hominis animam ejusq;  
voluntatem à Deo alienam non solum Astra sed & ipfis-  
simum diabolum, ex justo DEI judicio & permisso, in-  
fluxum & potentiam habere posse, non inficias eo, ceu  
anima seu mens, spirituum ministeriò ad functiones suas

G 2

uitur,

(A) Hippocr. de Vet. Med.





32  
utitur, ac spiritus nervorum ac lymphæ sunt incolæ, ab  
æthereo symbolisante facile afficiendæ, ni spiritu divino  
omne avertatur malum. Discat igitur quivis ad syde-  
ra piè tollere virtus, ac DEUM omnis Boni fontem ac  
Autorem devotò venerari pectore, colere, laudare, ut  
& ceu justissimum peccatorum vindicem timere, quò  
in timore DEI ac sub benedictione suâ paternâ, (nam,  
dum blanditur, & dum cædit, Pater est) quoties opus  
fuerit, USU MEDICINÆ tam pro tuenda quam recu-  
peranda sanitate reddatur dignus, Medico locum (u)  
non dans, priusquàm animam suam ab omni mundave-  
rit delicto, cum impossibile sit, ut capaces reddamur gra-  
tia divina, nisi perturbationes ac vitia, animas nostras pos-  
sidentia ejiciamus, (v) nimirum

*Ni faveat Numen, viresq; insuderit arti,  
Ægrum nec Medicus, nec Medicina juvat.*

Cedant omnia in æternam summi Numinis laudem, &  
SIT SOLI SUMMO GLORIA SUMMA DEO.

(M) 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. (V) Basilii.

**V**iderat Hollandis CHRISTIANUM Fama sub oris  
Stare Virum, & multis Verre potenter opem  
Nunc mihi divinum quantum vis Græcia Coum  
Objice, & omne tuæ pharmanon artis, ait:  
Si Prussis Græcos præfers, Curam aspice utramque  
Illam hominem, dices, hanc habuisse Sophum,

Ad Imitationem illius Sanazarii  
Honori

*Præcellentissimi Doctoris Christiani ponit.*

**GEORGIUS EMMERICH,**

Med. D. P. P. Ord. Secundus

& Senator Lœbnic.











Königsberg, Diss., A 709/13

A. Klüver




TA 70L











Farbkarte #13

B.I.G.

1713/1 13  
5. 7  
14  
D. B. V.  
ARTATIO MEDICA  
DE  
& ABUSU  
DICINÆ,

Quam  
ANTE DIVINO NUMINE  
SUPERIORUM  
IENTE AMPLISSIMA  
LTATE MEDICA,  
EMIA REGIOMONTANA,  
nata Praxeos Medicæ nego-  
ncepit & publici Juris fecit  
RISTOPH. CHRISTIANI,  
Hollandiâ - Borussus,  
DICINÆ DOCTOR,

ajest, in Borussia, superioris Borussia  
arum PHYSICUS Ordinarius.  
NIMIS ANXIUM ESSE TE CIRCA VER-  
OSITIONEM, NOLO. HABEO MAJORA,

Typis REUSNERIANIS. M DCC XIII.

